ΧΕΙΡΑΓΩΓΙΑ
MANUDUCTIO AD *Artem Rhetoricam.*

In qua *genesis* & *analysis*, h. e. ratio artificiosè *componendi* & dextrè *resolvendi* orationes perspicuè & methodicè docetur.

In usum Scholarum.

Authore THOMA VICARSIO, Carleolensi, nuper Collegii Reginensis apud Oxonienses Socio.

Editio quarta.

Huic editioni accessit jam primùm
SCHISMA SCHOLASTICUM
Eodem Authore.

Joan. Audoen.
Rhetorica est palmæ *similis, Dialectica* pugno;
Hæc pugnat, palmam *sed tamen illa* refert.

LONDINI,
Typis *A. Miller*, impensis *Christopheri Meredith*, ad Insigne Gruis in Cæmiterio Paulino, 1650.

5243.203 *

Author alloquitur Collegium.

Hœdera pyramidem viridis circumfluit altam:
Pyramis eſt *domus* hæc, *hœdera* juncta *liber*.
Hœdera pyramidi dicit, *Te ſtante virebo*:
Dicat idem liber hic (te precor) alma domus.

ADMODUM REVERENDO IN Christo Patri ac Domino multis mihi nominibus colendo *Georgio Carletonio* divina providentia Episcopo *Ciceſtrienſi* εὐδαιμονεῖν.

MEmini (Præſul ampliſs.) *D.D. Airayum*, fulgentiſſimum illud ſydus Boreale, amicum ſuum, ſolem meum (qui paucis ab hinc annis non ſine magno dolore meo & communi fidelium planctu mortem vita commutavit) conqueri ſolitum fuiſſe, quòd non diſtinctè ſatis & methodicè

χρησὸς ἑτάρη κοινὸν ἀγαθόν. *Menander.*

pueri nunc dierum prima Rhetorices fundamenta imbiberent, nec rationem satis expeditam orationes *componendi* aut *resolvendi* ad manus haberent. Animadvertit hoc sagacissimus vir in tyrunculorum exercitiis, quibus pro more suo interfuit vigilantissimus Præpositus. Gravissimi viri vocem avidè non semel arripui, quæ animo meo tam validè inhæsit, ut isti statim morbo, non inficior, remedii nonnihil à dextimo quopiam Rhetore & artium humaniorum primipilo summis expeterem votis & exoptarem. Verùm cum à nullo (quod sciam) adornationem hanc, quam aggredior, orationū saltem non tam facili & perspicua methodo pertractatam viderim; non potui mihi ipsi temperare, quin quod ille prudentissimè in nonnullis pædagogis desideravit, ipse pro virili

virili mea ſubſtituerem. Eóque magis penſum hoc in me (licet ſolvendo non ſum) ſuſcepiſſe videor, quòd venerandus ſenex, cui me totum conatúſque meos univerſos conſecraveram, paulò ante ἀποθέωσιν, deſignaverat me Lectionis in alma domo noſtra nomine quidam Rhetoricæ, reipſa Grammaticæ qualemcunq; Prælectorem. Ut ergo mentis meæ inſtitutum exponam quàm breviſſimè; nullus certè animus mihi fuit alius, quàm ut præceptiones quaſdam haberent tyrones & regulas, quibus freti & innixi, in oratoria arte cum utilitate verſari, tandémque in eadem ipſi etiam cum laude (quod certè difficillimum eſt) aliquando excellere poſſent. Si illius, quod mihi in primis votis fuerat, compos fuero, probè me meo functum munere putabo; ſin aliter evene-

rit, voluntatem tamen meam ſtudiúmque propagandi literas, nullus literarũ fautor vel alumnus improbandum, ſat ſcio, judicabit. Alios verò vitilitigatores ego quidem nè titivilitio facio, qui cum ſua non edant, in aliorum ſcriptis pluſquam ingeniosè ſunt nequam, *Quos* tamen ni fallor, *pudeat ſeſe literis ita abdidiſſe, ut nihil poſſint in communem uſum proferre.* Illos ego rogatos velim, ut noſtra nollent carpere, ſed edant ſua. Et certè *ſi quis putet ſe poſſe meliorem fœtum producere, debet hanc utilitatem cum poſteris communicare; omnes enim ad cæterorum quoquè commoda nati ſumus, ac jubemur à Deo illud talentum exercere pro viribus, quod nobis à divina clementia conceſſum eſt.* Sed iſtos (quia mihi cum ſurdis res eſt) longiore non dignabor alloquio. Tuam vero

Cicer. pro Archia.

Nat. Com. Mythолog. lib. 8. c. 22.

(Reve-

(Reverende Pater) humanitatem imploro, ut quæ Collegii inprimis Reginenſis & ſtudii deindè generalis commodo concinnaverim, candidè (ut ſoles omnia) interpretari, & in clientelam tuam recipere non dedignari velis. Tuæ autem Amplitudini iſta ut dicarem, non modò ſtudii mei ratio debitúmque officium; verumetiã benignitas tua, propenſuſq; in me animus poſtularunt. Quam parùm, imò nihil boni ex meipſo, poſſum probè novi; at verò (libenter verba Apoſtoli uſurpabo) χάριτι Θεοῦ εἰμὶ ὅ εἰμι. Et ſi quid vel in hac arte inferiori & inſtrumentaria profecerim, illius ſolummodò gratiæ acceptum refero. *Si quid itaque in hoc opere dixero quod placeat amicorum deſiderio, non eſt meæ indigentiæ, ſed divinæ ſufficientiæ: ſi quid verò forſitan ita dixero, ut nec ſufficere*

1 Cor. 15. 10.

Fulgent. epiſt. 3. c. 3.

amicorum possit desiderio, nec placere, non est sufficientiæ divinæ, sed indigentiæ meæ. Proinde Christiana charitas utrobique operis sui partes exhibeat, ut & sufficientiam Dei humiliter agnoscat, & indigentiæ servili patienter ignoscat. Deus Opt. Max. Amplitudinem tuam bono Ecclesiæ Reique publicæ, nobis etiam Academicis quàm diutissimè conservet incolumem.

Amplitudini tuæ
addictiss.

THO. VICARS.

PRÆFATIO,

IN QUA RATIO OPERIS exponitur, ad venerabilem virum & integerrimum amicum meum THOMAM WILSONIUM Eccleſiæ Georgianæ paſtorem vigilantiſſimum, & baſilicæ Chriſti Cantuarienſis Concionatorem eximium conſcripta.

QUOD privatis aliquando ad te miſſis literis (vener. vir) pollicitus ſum, illud ut jam præſtem latiſſima patet porta, faventiſſimúſque ſpirat Favonius. Quàm ſubmiſsè ſemper de meipſo, propriæ tenuitatis conſcius, ſenſerim, res ipſa teſtatur; quàm amicum & candidum (ne quid ultrà dicam) de labore meo calculum ſubjecerint alij, graviſſimi doctiſſimíq; viri, jamprimùm expertus ſum; *Qui non ſolum ad ſuſcipiendam & ingrediendam rationem horum ſtudiorum principes mihi extiterunt*, verum etiam hortatu & epiſtolis me rogatum habuerunt, ut χειροτονίαν hanc, præceptis adornatam optimis & clariſſimorum Rhetorum authoritate firmatam, velim tandem in lucem emittere. Hæſi nonnihil temporis monitíſq; amicorum ſurdas aures accommodavi; verùm cum acriùs

M. Tul. pro Archia.

acriùs instarent, neq; portuerim amplius eorum voluntati resistere, precibus victus, in publicam studiosorum utilitatem non invitus emitto. Tibi verò præcipuè (erudite vir) Manuductionem istanc nuncupare volui, tum quia tu ipse satis jam mihi spectatus amicus & probè exercitatus orator, utpote qui à teneris unguiculis hac in arte educatus, de præceptis hisce solidè, ut orator, syncerè, ut amicus dijudicare noveris; tum etiam quòd merita in me tua longè maxima non patientur me ingratum oblitúmvé beneficiorum tuorum. Quod quidem eò feci studiosiùs, quòd magna pars istarum Meditatiunclarum exivit in chartam, cum domum tuam habuerim diversorium, & te hospitem. O me beatum felicíq; natum sydere, qui talem hospitem, tam benignum, tam pium, tam syncerum habuerim, tantillus tantum! O quanta videor perfundi voluptate, quoties memoriam mihi refrico istius temporis, quod apud te hospites non inviti detinebamur, & quoties subit mihi in mentem quomodo Defessum *laboribus* (ut Poëtæ verbis paululùm immutatis utar) Cœlesti *recrearis sorte vicarium!*

Horat. l. 3. od. 24.

Rhetorica puerilis est perdiscenda. Nam & ipsos eloquentiæ Romanæ, &c. Vide Aug. *de doct. Christ.*

At puerilia sunt ista: fateor; & oculis tuis planè indigna. Tu verò meminiris ista pueris dictata, in puerorum gratiam, qui summum oratoriæ artis fastigium per ἕκθεσιν quandam sive gradus, & εἰσάγωγὰς sive exempla velint attingere, conscripta: te verò ipsum non tam operis Lectorem, quam operæ meæ (si qua sit) Patronum. * *Ad te proinde scripserim ista non propter te,* ut appositè Bernardus.

* Bern *lib. 3. de Consideral. cap 7.*

Sed

Sed nimis forsitan brevia sunt ista nua διδάσματα. At enim ea semper mihi mens fuit, ut in docendo vitetur diligenter non modò prolixitas, sed omnis etiam profusior methodus. *Amo natura brevitatem, & fortè si copiosius loqui velicm, non succederet. Quod si maximè plausibilis esset prolixior docendi ratio, experiri tamen vix liberet. Præsentis autem operis ratio postulat ut simplicem doctrinam quanta licebit brevitate persringamus.* Hìc certè si uspiam, illud obtinet, μέγα βιβλίον μέγα κακόν. Ista quæ tradimus præcepta satis possunt facere cordato & studioso juveni, præcipuè si *Phœnicis alicujus cura accedat, stipiti verò & plumbeo nihil potest esse satis. Audiamus hac de re, si placet, magnum illum Quintilianum, *Ut rationem inveniendi & disponendi per omnes numeros penitùs cognoscere ad summam scientiæ necessarium est: ita incipientibus brevius ac simpliciùs tradi magis convenit. Aut enim difficultate institutionis tam numerosæ atque perplexæ deterreri solent, aut eo tempore quo præcipuè alenda ingenia, atquè indulgentia quadam enutrienda sunt, asperiorum tractatu rerum atteruntur.* Quod si quis longioris istorum quæ proponimus explicationis desiderio tenetur, habet ille authores in margine à me eo studio citatos, ut legant eos juniores (si occurrant) cùm gratia varietatis, nam παίτων γλυκὺ μεταβολὴ, tum etiam vice Commentarii.

Calvin, Institit. lib. 3. c. 6. §. 1.

ἐκ τοῦ μεγάλου τὸ εὖ ἀλλὰ τοῦ εὖ τὸ μέγα.

Plato in Phædone.

* *Phœnix Achillis præceptor.*

Quint. l. 8. Institit. ad initium.

Vide Justin. Institut. lib. 1. tit. 1. §. 3.

Quinetiam *aliud est quod timeo, ne ex eo minorem gratiam ineat iste liber quod pleraque non inventa per me, sed ab aliis tradita continebit.* Esto. At quid à me noviter excogitatum stu-

Quint. lib 3. cap. 1.

dioso-

dioſcorum palatis ſapidum eſſe queat? Nam

Ovid. *Invida me ſpaciis natura coercuit arctis,*
Ingenii vires exiguaſq; dedit.

Sunt ergo, quod ad materiam, quædam *Thomæ Freigii* in quæſtionibus ἐνθυμίαις, multa *Talæi*, vel ſi magè placet, *Butleri*, qui Tropoſchematologiam ſuam quartùm jam renatam & adornatam paſſus eſt videre lucem; plurima *Melanchthonis*, communis Germaniæ magiſtri, in Inſtitut. Rhetor. omnia ferè longè doctiſſimi *Hiperii* in Rhetorica; quoad formam tamen & docendi methodum mea ſunt. Ita ut, quod de Politicis ſuis dixit

Lipſ. ſubtilis alæ vir Juſtus Lipſius, idem ego de hoc noſtro libello pronuncio. *In eo verè poſſum dicere, omnia noſtra eſſe, & nihil.* Nequè certè eo philautiæ ſpiritu inflatus ſum; tamq; amans operis noſtri, ut omnes alios authores averſari, meq; ipſum ſolummodò verſare velim tyrones, quemadmodum feciſſe videtur B. Kekerm. vir alioqui humilis, dum auditoribus ſuis (neſcio planè quo affectu) ſuadet,

Keck. Syſt. Rhet. Spec. lib. 2. cap. 1. ut præcepta Rhetorica recentium nulla alia legant præter ſua ipſius. Nequè tam ambitioſæ cervicis ſum, ut quemadmodum de ſua Logica dixiſſe fertur Laurentius Valla, Nullam eſſe Logicam præter Laurentinam, ego itidem de hac Rhetorica dicerem, Nullam eſſe Rhetoricam præter meam. Imò probo ego conatus, & venerari ſoleo induſtriam aliorum qui minimum de hac divina arte meruerunt, & juniores etiam maximè rogatos velim, ut conſulant authores probatiores, eóſque (modò evitentur duæ ſtudiorum

peſtes,

pestes, ἀταξία & tædium) non oscitanter, ut quibusdam mos est, sed summa cum diligentia perlegant. *Et si in tanta scriptorum turba mea fama in obscuro sit, nobilitate & magnitudine eorum qui nomini officient meo, me consolabor:* eorum certè felicitati & dignitati non invidebo unquam. Mihi námque probè conscius sum, quantum valeo tenuitate, & quam multis parasangis divina illa pectora, quæ ad ornatum hujus artis aliquid contulerunt, me anteiverint. Interim tamen nequè hoc possum dissimulare, quod tyrones legendo hasce præceptiunculas meas, aliorum etiam prolixiores legant Commentarios. Quare noli tu Mome aliquid in his severiùs reprehendere, neque oggannire, quemadmodum occœpisti, lividus ut es nostrarum actionum interpres, infantissimúsque judex, quasi leviora sint & frigida quæ appono. Morsiunculæ tuæ, qui οὐδὲ ζῆνα neque Jovem ipsum relinquis intactum, mihi sunt despicatui. Οὐ θαυμάζω εἰ ἐν τοῖς ἀλλοῖς ἅπασιν ἀπαίδευτος ὤν, κἂν τούτῳ τὴν ἀμαθίαν τοῦ σαυτοῦ ἐπεδείξω Ut meipsum purgem, Quintiliani verbis utar: *Bono viro id satis est docuisse quod scierit.* Et quod L. Florus de pop. Rom. historia. *Qui ejus res legunt, non unius populi, sed generis humani facta discant,* illud ego nequè immeritò de scripto meo asseverare me posse intelligo, qui legit *hanc Rhetoricam,* quid etiam in *aliorum* libris extat *Rhetoricis* facilè perdiscat. Sed video Epistolam ex parvis initiis in magnitudinem ferè immensam excrevisse. Quocirca ne longiore ambage tempora tua morer, accipe quæso

T. Liv. dec. 1. lib. 1.

Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 81.

Quint. lib. 12. cap 11.

L. Flor. lib. 1. in Prolog.

pro

pro apophoretis tuis hanc ſtrenulam noctibus hiſce productioribus elucubratam, eo, quo à me profecta eſt animo, memor illius Artaxerxis οὐχ ἥττον εἰρήνης βασιλικὸν ἢ πολέμου θρασὺν εἶδος μεγάλα δίδοναι, τὸ μικρὰ λαμβάνειν ἐυμενῶς καὶ ὡς δύμας. Atque hic ſit finis iſtius epiſtolii, *ne dupliciter te oneret minùs ſuavis oratio, ſi & longa fuerit.* Vale vir clariſs. méque, ut facis, ama.

Plutar. Apophteg.

Ber. de Conſid. ad Eugen. lib. 1. cap. 10.

Londini in Typographéo ſcripſi Decemb. 18. *an. virginei partus* CXƆIƆCXX.

Totus tuus

THOMAS de VICARIIS.

Ut æquus Lector univerſam dicendi facultatem noſtrámq; methodum faciliùs teneat, totam Rhetoricam τὸν μίαν συνόψιν ἄγειν καὶ σωματοποιεῖν (ut cum *Polybio* loquar) hoc eſt, uno intuitu complecti & veluti in corpus quoddam redigere curavimus hac tabellula, quam ſubjicimus.

Libri

Liber primus docet genesin oratoriam, ubi agitur de oratione componenda: ejus partes quinque ſunt,
Inventio, quæ tractatur
Generatim Cap. 1. ubi de
Definitione Rhetoricæ, & officiis Oratoris, §. 1.
Cauſarum generibus, §. 2.
Orationis partibus, §. 3. & ſeqq.
Specialim, in genere
Demonſtrativo, Cap. 2. ubi de
Laudatione & vituperatione Perſonarum, Factorum, Rerum, §. 1. & ſeqq.
Deſcriptione longiore Regionũ, Civitatũ, &c § 5.
Deliberativo, Cap. 3. ubi de
Suaſione, §. 1.
Diſſuaſione, §. 2.
Judiciali Cap. 4. ubi de
Statu Conjecturali, Finitivo, & Juridiciali, §. 1.
Oratione adornanda in unoquoq; ſtatu, §. 2. & ſeq.
Diſpoſitio, quæ eſt in
Orationis partibus.
Probationibus quoad
Materiam.
Formam.
Locis communibus.
Movendis affectibus.
Diſponendis Schematibus.
Verborũ electione & conſtructione, c. 5.
Elocutio, quæ eſt
Tropologia. Cap. 8.
Memoria, quæ confirmanda eſt
partim
Scriptione.
Exercitatione. Cap. 7.
Pronunciatio, quæ definitur
Voce & Geſtu.
Cap. 8.

Libri *secundi*: typus Tabellaris.

Liber secundus docet Analysin. *Ubi agitur de oratione resolvenda. Duo proponit.*

1 *Quid sit Analysis.* Cap. 1.

2 *Quomodo fiat idq; exemplis Ciceronianis. Ubi habetur artificium in oratione pro*
- *Sexto Rosc. Amerino.* Cap. 2.
- *Archia Poeta.* Cap. 3.
- *Lege Manilia.* Cap. 4.
- *T. Annio Milone.* Cap. 5.

Sententia viri gravis & eruditi de hoc libello quam missâ ad Authorem Epistolâ consignavit.

LEgi summa cum de liberatione (mi Vicarsi) Rhetoricam illam manuductionem tuam, in qua, quod verum est liberè dicam, præcepta tua, finitiones, partitiones, & exempla mihi videntur omni exceptione longè majora, brevia insuper magisque perspicua, quàm ulla quæ in hoc genere mihi unquam videre contigit. Optarem sanè, prout tibi etiam in votis fuit, ut alii ex Collegis meis opus tuum perlustrarent, sed video illos negotiis districtos, & proinde hac ex parte excusandos. Sed quod meipsum attinet, fateor me non sine magna voluptate notas hasce perlegisse, quas nunc ex animo tuo tibi remitto. Nihil est quod verearis illas in multorum commodum prælo committere. Macte animo, mi Thoma, pergito alacris, sisq; fœlix precor numerosæ prolis hujuscemodi parens. Benè vale, è Coll. Exon. Oxon.

Tuus

Sam. Cosens.

AD AUTHOREM PIUM ET DOCTUM.

RHetoricos flores multos collegimus olim;
Perpaucos fructus qui perière brevi.
Innumeros fructus ornatos floribus adfert
(VICARSI) *ridens hortulus iſte tuus.*
Perbellos carpant hinc flores Rhetoricaſtri,
Vt dulces fructus jam ſua ſylva ferat.
Dent aliis Muſæ terreſtres florea ſerta;
Cœleſti eſt fructu texta corona tibi.

Al miſmo.

SI nueſtra Eſpanna quiſiera
Tu Rhetorica leer
Vicarſio puedes creer
Que preſto Chriſtiana fuera.

Joannes de Nicholas & Sacharles *Doct. Medic. Hiſpanus Reformatus.*

De nova hac Editione Rhetoricæ Vicarſianæ, Diſtichon.

Δὶς κἀ τρὶς κάλον. Euge Vicarſi, rursùs
Ergo, fatigatis tradere ſcripta typis.

Warnerus South *Eccleſiæ Wellenſis Canonicus, nuper Collegii Novi Socius.*

Περὶς

Πρὸς Θῶμαν Ὀυϊκάρσιον περὶ τῆς αὐτοῦ χειραγωγίας δίστιχον.

Χεὶρ λογικὴ λέγεται πρὸς ἅπαντα μαθήματα μουσῶν:
Ταῖς αὔταις ἄλλην νῦν τύγα χείρα δίδως.

Ad eundem.

Quem non sperarent proavorum secula, tandem
Tulli * Oratorem *tempora nostra ferunt.*
Integra vita bonum, *Te*, dicendique peritum
Rhetorica hæc (mundo teste) probare queunt.
Carol. Robson Art. Mag.

* *Virum bonum dicendi peritum.*

Thomas Vicars.

Anagramma.

Oh Ars, micas tu!

Ad Rhetoricam.

Rhetorica, ambiguis scriptis latitare solebas;
Ars *tamen*, Oh *tandem*, tu, *peramæna*, micas.

Ad Authorem.

Splendidus ut Cœlis Sol; sic tua Præmia Prælo
Splendent: Ars, *nitide, sic* micat, *arte tua.*
Johannes Vicarsus.

Author ad Zoilum.

Ne perdas operam, qui se mirantur in illos
Virus habe; nos hæc novimus esse nihil.
Ex Martial. lib. 14.

Idem ad Lectores.

Majores majora sonent, mihi parva loquuto
Sufficit in vestras sæpè redire manus.
Ex Martial. lib. 9.

Bibliopola, Typographus & Inſpector præli, Lectoribus. S.

ECce vobis, Lectores benevoli, perfectum jam damus & numeris ſuis abſolutum *totius Rhetoricæ artificium* cùm quoad *geneſin*, tùm quoad *analyſin*. Quod quàm pulchrè adornatam ſit, vos experimento veſtro comprobare potiùs quam nos verbis exprimere ſatiùs judicamus. Certè quàm inſignis & diſertus pædagogiarcha fuerit *Joannes Brinſleus*, quàm maturum in edocendo pueros ei ingenium & judicium aderat, & quàm in informandis eorum mentibus & moribus conformandis facilis methodus & felix ſucceſſus, nulli credimus ignotum eſſe poſſe, qui vel hominem, vel opera, vel conatus illius verè pios & doctos viderit, legerit, audiverit. Ille autem iſto in libro quo Scholis Grammaticis & Scholarchis* Solamen præbet, & libros etiam eorum inſtitutioni & arti apprimè utiles indigitat, honorificam hujuſce Rhetoricæ mentionem facit ſemel atque iterum, iſtius libelli *pagina ſc. 67. & 78.* Iſta referre non piguit ob memoriam tanti viri: Plura addere neceſſum non fore duximus, præcipuè cum vino vendibili opus non ſit hœdera ſuſpenſa. Valete & Vivite, & noſtram opellam boni conſulite.

* *Conſolation for the Grammer School.* pag 67 & 78.

Editiones

Editiones quarundam librorum quos ad marginem apponendos curavimus eo fine, ut quibus animus est præcepta hac Rhetorica fusiùs & pluribus verbis legere, possint isti dextrè promptéque loca secundum has editiones invenire.

Quintilianus 8°. *Parisiis ex officina Cl. Chevalonii sub sole aureo.* 1527
August. de doct. Christ. Colon. 1553
Tullius de oratore Emendat. à Joan. Sturmio, Argentorati. 1568
Aristot. Rhetor. libri tres à Riccobono conversi, Francofurti. 1588
Matth. Dressor. iterum emendatus, Lipsiæ. 1588
Soarius Fred. Ceruti adauctus Commentariis, Coloniæ. 1591
Philippo-Ramæum Rhetoric. System. Steinfurti. 1605
Keckerm. Rhetor. Ecclesiast. Hanoviæ apud Guliel. Anton. 1606
Alstedii Orat. Hernbornæ Nassov. 1612
Keck. Syst. Rhet. 8° *Hanoviæ.* 1612
Ioan. Georg. Grossius Basileæ. 1613
Ger. Vossius ex chalcographia Frid. Hartmanni. 1616

His

His accedunt

Cunradi Dieterici Inſtitutiones Rhetoricæ, Gieſſæ. 1613

Willelmi Thorni Reverendi & doctiſſimi Decani Ciceſtrienſis Tullius ſeu ῥήτωρ Oxoniæ. 1592

HIPERIUM non appoſuimus, quia cum ex reliquis nonnulla, ex illo omnia decerpſimus. Noſtra ſunt tantummodò facilis per erotamata docendi modus & methodus ſatis, uti ſpero, expedita. Illud ut tu (Lector) monitus eſſes curavi prima editione, ne plagii me inſimulares; quòd eadem de cauſa jam repeto, ne cogitares forſitan *me* non alio modo egiſſe cum *Hiperio*, quam *Proclus* olim egit cum *Gemîno Geometra*, ex cujus eiſagoge ſphæram ſuam totam & ad verbum excerpſit, ut à peritiſſimo Aſtronomo & digniſſimo Profeſſore Oxonienſi obſervatum eſt; vel quemadmodum feciſſe legimus *Petr. Hiſpanum* cum *Mich. Pſello* authore Græco. In quem dubio procul clam incidens Hiſpanus, & exiſtimans eum vel à nemine

DD. Bainbridg. in Edit. Procli Græcol.

nemine adhuc lectum, vel lectum non iri (quæ ſpes *Petrum* fefellit) de verbo ad verbum, déque capite ad caput ſuam ſummulam ex hoc Pſello ſuppilavit; quod notatum eſt à Barthol. Keckerm. in Chronologia Logicæ. Dixit olim quidam *Niſi fuiſſet Chryſippus, ego non eſſem.* Illud ego quoq; libens fateor, niſi Hiperius ſuam edidiſſet Rhetoricam, ego non ſcripſiſſem meam. Religio mihi eſt præterire illos per quos profecerim. Tu, Lector, fruere opella mea & benè vale.

Keck. lib. 2. prægv. Log.

Da veniam ſcriptis, quorum non gloria nobis
Cauſa, ſed utilitas officiumq; fuit.

Ovid.

Totius Rhetoricæ ARTIFICIVM dilucidè delineatum.

Liber primus de geneſi oratoria.

Caput Primum.

Quid eſt Rhetorica?

§. 1. Quintilian lib. 2. Inſtit. cap. 18. Soarius Rhet. lib. 1. cap 1.

EST ars rectè & ornatè dicendi. *Ut Grammatica eſt ars congruè loquendi; Logica ſolidè diſſerendi; Arithmetica benè numerandi; Geometria peritè menſurandi; Aſtrologia ſobriè ſpeculandi; Muſica concinnè canendi: Ita Rhetorica ars eſt rectè & ornatè dicendi.*

Ut rectè & ornatè dicat quiſpiam, quot neceſſariò requiruntur? Quintilian lib. 3. c. 3. Dreſſerus l. 1. Rhet. pag. 46. Soarez Rhetoric. lib. 1. c. 7.

Quinque. Primò, *Invenire* ſive excogitare res veras aut argumenta veriſimilia, quæ cauſam, quam tractandam oratione ſuſceperis, probabilem reddunt. Secundò, *Diſponere* aptéque collocare res illas & argumenta excogitata.

2 cogitata. Tertiò, *Eloqui*, hoc est, inventa & *Sturm. de imitat. Orator. lib. 1. cap. 3. Augustin. lib. de principiis Rhetorica. cap. 1.* disposita idoneis verbis & figuris exprimere. Quartò, ista omnia, prout sunt disposita animo, *memoriæ mandare* & infigere. Quintò denique, *Pronunciare* & ordine quæque suo recitare summa cum vocis, vultus, ac gestus moderatione. *Hanc partitionem sumo ex lib.* 1. M. Cicer. *de orat. Verba Crassi sunt. Cùm esset omnis oratoris & facultas in quinque partes distributa, ut deberet reperire primum quid diceret, deinde inventa, &c.* pag. 299.

§. 2. *Ut* invenias *quid de quaque re exactè & oratorio more dici possit quot sunt consideranda?*

Quint. l. 3. Institt. c. 6. & seq. Duo Primò, diligenter considerare oportet *causam* aut quæstionem, thema seu negocium de quo est agendum; Deinceps etiam, & ipsam *orationem*.

Quot modis in Rhetorica explicanda veniunt thema *seu negocium, & ipsa* oratio?

Duobus planè modis: primò *Generatim*, deinde *specialim*.

Quod generalem *attinet doctrinam, potésne causas vel negocia ad certa revocare capita?*

Negocia quidem, quæ se offerunt in oratione tractanda, sunt infinita; perutile tamen judicarunt majores ea ad certum numerum atque ordinem redigere.

Aristot. lib. 1. Rhet. c. 3. Quintilian. Institut. lib. 3 c. 4. Soarez. lib. 1. Rhet. c. 4, 5. Voss. Instit. l. 1. c. 3 p. 23. *Quotnam ergo constituerunt illi* causarum *genera?*

Tria. Demonstrativum, Deliberativum, & Judiciale. *Hanc partitionem sumo ex* Aristotele *lib.* 1. *de Rhetor. c.* 3. *cujus verba sunt diserta,* ὡς δ' ἐξ ἀνάγκης ἂν τύη τεία γένη

τῶν λόγων τῶν ῥητορικῶν, συμβουλευτικὸν, δικανικὸν, ἐπιδεικτικὸν. Itaque ex necessitate sunt tria genera orationum oratoriarum, deliberativum, judiciale, demonstrativum. Dresser. *lib. 1. Rhetor. pag. 50. addit* Didascalicum, *cui ego adsentiri non possum. Exempla istius genera habes luculentissima & lectu dignissima apud B.* Keckerm. *in plenioris System. Logici parte altera, sive Gymnasio Logico.*

3. *Alsted. orat. l. 4. c. 4. p. 87. Keck. lib. 1. Syst. Rhet. Spec. cap. 19. pag. 546. Dresser. lib. 1. Rhet. pag. 48.*

Quid est Demonstrativum?

Quo demonstratur quale quid sit, *videlicet*, laudandúmne sit an vituperandum.

Quænam negotia ad hoc dicendi genus pertinent?

Inprimis laudationes & vituperationes: præterea longiores narrationes seu descriptiones regionum, montium, fluviorum, ædificiorum, pomparum, conviviorum, itinerum, &c. nam in illis laus aut vituperium admiscetur.

Quid est Deliberativum?

Quo de aliqua re deliberamus, atque consilium capimus.

Quænam negocia ad hoc dicendi genus pertinent?

Inprimis suasiones & dissuasiones: itemque exhortationes, dehortationes, petitiones, consolationes, commendationes, conciliationes, &c. in quibus omnibus suadetur aliquid, aut dissuadetur.

Quid est Judiciale?

Quo excutiuntur quæcunque causæ coram judicibus.

Quænam negocia ad hoc dicendi genus pertinent?

4 Inprimis accusationes & defensiones; deindè etiam expostulationes, purgationes, querelæ, deprecationes, invectivæ, &c. *Hæc est inventio quæstionum, quas nisi orator apud se distinctissimas habeat, nunquam fœliciter dicet.* Alsted. Orat. lib. 4. cap. 3. *ad finem.*

Genera causarum interdum commiscentur, ut in oratione pro Archia Poeta, & aliis videre est; oratio interim secundum principalem propositionem semper est denominanda. Dress. Rhet. l. 1. p. 50.

Post causarum genera restat jam consideremus orationem: *quidnam ergo in illa adornanda præcipuè observandum occurrit?*

§. 3. *Dresser. Rhet. lib. 1. pag. 52.* Oratio secundum partes suas est adornanda: illæ sex numero sunt. Exordium, Narratio, Divisio, Confirmatio, Confutatio, Conclusio; quas omnes pro facultate nostra politas esse & artificiosè compositas curabimus. *Etiam illa cognoram & acceperam antè, quam de re diceremus initio conciliandos eorum esse animos qui audirent, deinde rem demonstrandam,* &c. *Verba sunt Crassi apud* M. Cic. *lib.* 1. *de Orat. pag.* 299. *Prima auditoris animum provocat, secunda res gestas explicat, tertia* ordinem dicendorum proponit, *quarta fidem assertionibus facit, quinta* adversariorum rationes convellit, *sexta finem orationi imponit.* Vincent. Specul. Doctrin. l. 4. c. 101. *Neque verò singulas hasce orationis partes in omni negotio semper admittere necessarium fore putamus. Quippe quod à summis etiam viris earum nonnullas absque reprehensione omissas legimus. Sed ut in Mathematicis se res habet; ita hìc in Rhetoricis. In demonstranda propositionis alicujus Geometricæ veritate secundum* Proclum,

clum, *antiquissimum* Euclidis *interpretem, quinque capita sunt observanda.* 1. *est* ἡ ἔκθεσις *propositionis, hoc est,* [τὸ δεδομένου ἢ ὑγκειμένου] *dati seu antecedentis expositio.* 2. ὁ διορισμὸς [τῶ ζητουμένου καὶ ἐπιταγμένου] *quæsiti seu consequentis determinatio.* 3. ἡ κατασκευὴ, *delineatio ac præparatio ad demonstrationem.* 4. ἡ ἀπόδειξις, *demonstratio & ipsius veritatis comprobatio.* 5. τὸ συμπέρασμα, *conclusio & repetita propositionis totius affirmatio. Atque hasce partes à peritis Geometris observatas esse constat, si consulamus* Petr. Ryff. *Geometric. quæstion. lib. 2. cap. 2. Verumtamen ista demonstrandi methodus non semper cunctas has partes seu capita requirit. Interdum namque nulla opus est* ἐκθέσει, *interdum nec* διορισμῶ, *aut* κατασκευῆ. Ryff. *lib. 2. Geometr. cap. 1. Idem planè de methodo hac Rhetorica dictum puta. Nulla namque interdum opus est* Narratione; *quandoque non admittit oratio* Divisionem; *& nonnunquam non inscitè omitti potest* Confutatio. 5

De Exordio *quænam occurrunt observanda?* §. 4.

Tria: { 1. Quid sit. 2. Quotuplex sit. 3. Quæ sint illius leges.

Quid est Exordium?

Est principium orationis, quo auditores ad audiendum præparantur. *Arist. Rhet. l. 3. cap. 14. Quin. l. 4. c. 1.*

Vide etiam Soarez lib 2. Rhet. cap. 2. nec non eximium virum Aubon. Scherum apud Keckerm. de Rhetor. Ecclesiastica. pag. 180. Alsted. Orator. lib. 4 cap 10.

Quomodo præparantur auditores ad audiendum?

6 Si eos benevolos, attentos, & dociles reddamus.

Quibus possumus rationibus & modis auditores reddere benevolos?

Thom. Tull. stirom. 1. Sect. 5. Sub. sect. 1.

Quatuor modis, 1. *à persona nostra*, quando officium aut studium nostrum in religionem, in remp. erga amicos, erga auditores commendamus, & deinde oramus ut benignè nos audiant: 2. *ab adversariorum persona*, præsertim in genere Judiciali, cum eos in odium, invidiam, aut contemptum adducimus: 3. *à persona auditorum*, si illos aut illorum dicta factáque civiliter prædicaverimus: 4. *à rebus ipsis*, sive negotiis; veluti si dicamus negocium illud, de quo acturi sumus, esse plausibile, honestum, necessarium, &c.

Quomodo auditores nostros efficiemus attentos?

Attentos reddimus auditores, si de rebus utilibus, magnis, inusitatis, & difficilibus, de rebus pertinentibus ad religionem, ad remp. ad salutem vel dignitatem auditorum significemus nos dicturos, rogemúsque ut attenti esse velint.

Quoniam possumus modo dociles *habere auditores?*

Dociles reddimus, si nos quam brevitè & dilucidè dicturos, summámque negotii summa cum brevitate exposituros promittimus.

Soarez l. 2. Rhet. cap. 3. Thom. Tull. strom. 2. Sect. 1. Sub. sect. 2.

Quotuplex est Exordium?

Duas fecerunt Exordiorum species, Πρόοιμον scil. sive Principium, & Πάρεδρον sive Insinuationem.

Quodnam

Quodnam est Principium ? 7

In quo attenti, benevoli, dociles redduntur auditores, & quidem apertè citraque involucrum : præsertim quando causa honesta, & per se necessaria est; undè licet accommodare istud exordiecdi genus omnibus causis gravioribus ac honestis.

Quid est Insinuatio ?

In qua ea omnia quæ diximus peraguntur, sed obscurè & cùm quadam dissimulatione atque circuitione ; proinde hoc exordiendi genus non adhibetur, nisi quando res, de qua agitur, turpis est, aut animus auditoris jam antea de ea persuasus, aut eos, qui prius dixeriut, audiendo fatigatus sit.

Quænam sunt de Exordio leges ?

Tres sunt præcipuè : 1. *est*. Exordium non debet esse nimis longum, vel à causa remotum, vel adversarii aliqua ratione accommodatum. 2. *est*. Unde sumatur dicendi initium, parùm refert. Nam à circumstantiis, veluti loco, tempore, personis, item ab insigni aliqua sententia, à lege, ab historia, item ab admiratione, à fabula, à voto, & similibus locis incipere non est insolens. 3. *est*. Dictionis forma in exordio erit gravis quidem, sed jucunda tamen, & grata, & ab apparatu atque affectatione aliena. *Exempla Exordiorum vide infra cap. 2. §. 2. item lib. 2. cap. 2. & seqq. impræsentiarũ generalia tantùm præcepta tradimus.*

Πὴν προίμιον μάκρον τῷ ἐπιθυμοῦντι ἀκοῦσαι. *Keck. lib. 1. Syst. Rhet. c. 11. p. 125. Dress. lib. 1. Rhet. p. 53. & sequent. Soarez. lib. 2. Rhet. c. 4. & 5.*

De Narratione *quot occurrunt observanda ?* §. 5.

Tria: { Quid sit. / Quotuplex sit. / Quinam sint de ea Canones.

8

Arist. Rhet. lib. 3. c. 16. Thom. Tull. Strom. 2. sect. 2. Aut. Scholæ in dialogo apud Keck. de Rhet. Eccles. pag. 188.

Quid est Narratio?

Narratio est rerum gestarum ac perinde ut gestarum expositio.

Quotuplex est Narratio?

Duplex. Una est ipsius causæ; altera est rerum ad causam aliquo modo pertinentium, quæ aliàs Digressio nuncupatur.

Quid est Narratio prioris generis?

Narratio ipsius causæ est, quâ rem gestam simpliciter exponimus, & singula ad nostram pertrahimus utilitatem.

Quænam solent in hac Narrationis specie adhiberi?

Quinque: 1. *Partitio*, qua videlicet, levandi tædii vel perspicuitatis causa, ordinem quendam in Narrando ipsi monstrabimus, 2. *Præparatio*, qua de nostro aliquid addimus causæ profuturum, 3. *Elevatio*, quæ est rei vel criminis artificiosa depressio, 4. *Exaggeratio*, quæ elevationi est contraria, 5. *Admonitio*, qua admonetur auditor ut rem rectè expendat.

Quid est Narratio posterioris generis, sive Digressio?

Quint. lib. 4. cap 3.

Est rerum quarundam ad causam aliquo modo pertinentium expositio, quæ tamen non incommodè omitti poterant.

Quando & quibus de causis adhibetur ista Narrationis species?

His de causis, 1. *Transpositionis* causa, quò videlicet commodiùs ad aliam orationis partem transeamus, 2. *Similitudinis* causa, quando obiter commemoratur, & ostenditur aliquod negocium vel factum habens cum præsenti

ſenti quandam ſimilitudinem, 3. *Delectationis* ſeu exornationis cauſa, quandoquidem interdum delectat audire deſcriptionem rei cujuſpiam interpoſitam, 4. *Laudationis* cauſa, quemadmodum *Cicero* facit pro C. Balbo digrediens ad laudes *Pompeii*, 5. *Criminationis* cauſa, veluti cum aſpergitur aliquid de adverſario, odii conciliandi gratia. 9

Quinam ſunt de Narratione Canones?

Hi, 1. *eſt*, Narratio brevis erit, 2. erit dilucida, 3. probabilis, 4. in omni Narratione diligens haberi debet circumſtantiarum ratio, nempe ut in negotiis excutiantur cauſæ, locus, occaſio, inſtrumentum, tempus, modus, tum perſonarum decora etiam adhibeantur. *Vide Dreſſ. lib. 1. Rhet. pag. 84. Quint. lib. 4. cap. 2 Soarez lib. 2. Rhet. cap. 8. Alſted. Enc. lib. 4. cap. 11.*

Priores tres canones aliquantulum fuſius velim ut explices; quomodò ergo fieri poteſt Narratio brevis?

Brevis erit, ſi unde neceſſe eſt, inde ſumatur initium: ſi ejus rei partes non explicamus, cujus ſatis erit explicaſſe ſummam: ſi non longiùs quàm quo opus eſt procedimus: ſi denique non modo id quod obeſt, verum etiam id quod nec obeſt nec adjuvat prætermittimus.

Quomodò autem Narratio fieri poteſt dilucida?

Dilucida erit, ſi temporum ac rerum, ut geſtæ ſunt aut geri potuerunt, ordinem conſervamus, nullis additis vel prætermiſſis, vel tranſpoſitis, quæ ambiguitatem poſſent parare.

Quomodo tandem fieri poteſt probabilis?

10 *Probabilis erit*, si dicamus quæ sunt consentanea judicio naturali, consuetudini, negotio: tum ea adnotemus quæ ex causis & circumstantiis rectè sequi, & cohærere quivis intelligat. *Exempla Narrationis vide infrà.* c. 2. §. 2. *item lib.* 2. *cap.* 2. *& seq.*

§. 6. *De* Divisione *quænam occurrunt observanda?*

Tria { Quid sit. Quotuplex sit. Quænam sint de ea leges.

Quid est Divisio?

Dress. Rhet. lib. 1. pag. 92. Thorn. Tull. Serm. 2. Sect. 3. Divisio est in qua solummodò dicitur de quo sit controversia, & quibus ac quot potissimum de rebus simus dicturi.

Quotuplex est Divisio?

Ejus duas fecerunt species; una est quando expendimus simpliciter, quibus de rebus verba facere decrevimus.

Hæc autem quot fieri solet modis?

Quint. lib. 4. cap 4. Duobus: 1. *Enumeratione*, cum *viz.* significamus nos pluribus de rebus dicturos, deinde *Expositione*, quando una tantum de re sermo instituitur. Hinc nonnulli hanc partem vocarunt *Propositionem*, quia *viz.* solummodo *proponitur* qua de re oratio sit futura.

Quænam est altera Divisionis species?

Idem. ib. c. 5. Altera est quando exponimus, quid cum adversariis conveniat, & quid adhuc in controversia positum est.

Quænam sunt Divisionis leges?

In *genere* una est, illam esse partem orationis multò brevissimam: in *specie* est etiam altera, utendum nempe esse posteriore divisionis

sionis specie in genere causarum tantum judiciali, priore verò in quocunque genere. *Exempla divisionis vide infrà cap. 2. pag. 19. item lib. 2. cap. 2. & seq.* 11

Quænam de Confirmatione occurrunt observanda?

Duo { Quid sit. / Quomodo fiat. } §. 7.

Quid est Confirmatio?

Confirmatio (quæ orationis pars præcipua longissimáque existit) est, in qua colligendo diversa argumenta, causæ nostræ fidem, authoritatem, & firmamentum paramus.

Τὰς δὲ πίστεις δεῖ ἐπιδεκτικὰς εἶναι. *Arist. Rhet. lib. 3 cap. 17.* ψευδοῦς γὰρ οὔσης τῆς ὑποθέσεως, ἀναγκαίως καὶ τὸ συμπέρασμα ἀσύστατον εὑρεθήσεται. *Pelusiot. lib. 3. Epist. 233. Oratoris officium prudentis est & providi, ut si in refellendo adversario fiemur esse oratio, quam in confirmandis nostris rebus, potest omnia in illum tela conferamus, sic nostra facilius probari, quam illa redargui possunt, abducere animos à contraria defensione, ut ad nostram coremur traducere. Cælius ex Cicerone lib. 2. de amplitud. Reg. Cælest. pag. 44.*

Quomodo aptè fit Confirmatio?

Oportet sanè volentem parare Confirmationem omnes ingenii nervos in illa componenda intendere, hæcque duo præcipuè intueri, 1. *statum*: id est, propositionem generalem, quæ summam rei, sive negotii, de quo agitur, complectitur. 2. *argumenta idonea*, ad statum stabiliendum; quæ excogitare ac reperire artis ac prudentiæ singularis est.

Potestne Communis quædam argumentorum inveniendorum forma præscribi?

Non potest ulla communis dari, quæ accommodetur singulis generibus. In unoquo-

12 que enim genere causarum propriè sunt loci materiam rerum dicendarum subministrantes, de quibus infrà agetur. *Exemplum* Confirmationis *in genere* demonstrativo *vide infrà cap. 2. pag. 24, 27, 30. in genere* Deliberativo. *cap. 3. pag. 39. in genere* Judiciali. *cap. 4. pag. 45, 46, 50. 51. item lib. 2. cap. 2. & seqq.*

Quænā occurrūt de Cōfutatione *adnotāda?*

§. 8. Duo { Quid sit. / Quot modis fieri possit.

De confirmatione & confutatione. vid. Thom. Tull. prom. 2. lect. 4.

Quid est Confutatio?

Confutatio est argumentorum, quæ objici nobis possent, dilutio.

Quot modis fieri possit Confutatio sive argumentorum dilutio?

Variis certè rationibus & modis contra adversariorum argumenta nos tuebimur, eadémque refellemus.

Quænam est prima ratio?

Negatio.

Quando est illa adhibenda?

Sanct. lib. 2. Rhet. cap. 2. Quando objecta sunt manifestè falsa vel certè obscura, nec testibus & argumentis allata, nec ab adversario comprobari possent. Negatur autem quandoque non modò factum esse, sed ostenditur & potestatem & voluntatē defuisse, ut dicemus posteà in genere Judiciali.

Quænam est altera ratio?

Elevatio, quando nempè eum contemptu quodam annihilamus atq; irridemus adversariorum dicta tanquam levia & ad causam non pertinentia, vel secum pugnantia, stulta, incredibilia, absurda, judicibus ingrata.

Quænam est tertia confutandi ratio?

Translatio,

Translatio, quando in alias vel res vel personas causam & culpam transferrimus: verbi causa; fatetur se quispiam fecisse, sed lege, sed consuetudine, sed superiorum permissu.

Quænam est quarta ratio?

Excusatio; nam multa sæpius occurrunt, quibus quod objectum est aliquo modo excusatur; ut ætas, sexus, imprudentia, casus, vitæ genus, institutio, &c.

Quænam est quinta?

Deprecatio, cum viz. agnoscit quis objecta, sed petit condonari; rogat ut sui habeatur ratio; quamvis hæc rara sit, & nomen Confutationis propriè quidem non obtineat.

Quænam est sexta?

Digressio, ubi ab instituto aliquantisper discedimus, ut principalis causæ oblivionem inducamus. Interdum promittimus nos quædam dicturos de re nobis objecta alio loco, sensim tamen pertransimus, vel certè tam involutè attingimus, ut judex ignoret, quid sibi pronunciandum sit.

Quænam est septima?

Rejectio, qua quod objectum est non diluitur, sed aliud quidpiam ei opponitur, sive par sive majus; aut qua nos objurgamus adversarium ceu qui in objiciendo honesti metam excesserit, & judicum sive auditorum nulla moveatur reverentia.

Quænam est octava?

Inversio, qua docemus signum vel causam contra nos allatam pro nobis facere; ut si objiciatur, *Sepeliisti, igitur occidisti*, Refellitur, *imò si occidissem, non sepelissem*, nam qui occi-

dit

14 dit relicto cadavere mox aufugit. Rogatus à quodam Bias, deberetne uxorem ducere, an vitam vivere cœlibem? ἤτοι, inquit, γαμῶ ἕξεις ἢ οὐ γαμεῖ· ἢ εἰ γαμῶ, ἕξεις καὶ μὴ γαμῶ, εἰ δὲ μὴ γαμεῖ, ἕξεις πονηρά. βλαπτέον ἀρα. Sic autem hoc responsum convertit. εἰ μὴ γαμῶ ἕξω, οὐκ ἕξω πονηρὰ· εἰ δὲ μὴ γαμεῖ, οὐκ ἕξω καλὴν. χαμηπτέον ἀρα.

Quænam est nona?

Absolutio, qua interpretamur signum aut causam aliter quam adversarii; ut si illi arguant, *sepeliisti, ergo occidisti*, sic solvitur, *Sepelii certè, sed misericordia cõmotus cũ obiter præterirẽ*

Quænam est decima?

Distinctio. Opus n. est ambigua sive obscura distinguere, ut causa nostra æquior quàm apparebat intelligatur.

Quænam undecima?

Conquestio, qua querimur de adversario, ac dicimus eum aliquid callidè addidisse, detraxisse, obscurasse, distulisse, immutasse, dissimulasse.

Estne etiam, & alia Confutandi ratio?

Restat adhuc unica, quæ dicitur *Examinatio argumentationum*, quando videlicet argumentationes separatim examinantur, atque in iis aliquod vitium ostenditur.

Quot modis examinantur argumentationes?

Duobus: primum in *forma*, ubi ostenditur argumentationem non esse secundum leges Dialecticas seu Rhetoricas constitutam, veluti, si non sit apta forma syllogismi seu Enthymematis, item si sit vitiosa Inductio, Sorites, Dilemma, &c. item si sit argumentatio captiosa & sophistica. At

At cum syllogismi Rhetorici fusissimi nonnunquam sint & longissimè se dilatent, quomodo de his rebus dextrè judicabitur? 15

Ut meliùs de his rebus judicetur, expedit interdum ornatas atque diffusas oratorum argumentationes distinguere more dialectico in arctos Syllogismos; Hoc enim pacto conspicitur quod vitii in illis lateat.

Quinam est secundus modus quo examinantur argumentationes?

Secundò, examinantur in *materia*; ubi videndum est num dubium pro certo, probabile pro necessario, verisimile pro vero, controversum pro confesso, dissimile pro simili, commune pluribus pro proprio, *&c.* ponatur, sumatúrque. *Exempla Confutationis vide infrà pag. 25, 52. item lib. 2. cap. 4. & 5.*

Restat adhuc sexta & ultima pars orationis absolvenda, Conclusio *nempè, de qua quòt occurrunt observanda?* §. 9.

Duo { Quid sit.
Quænam sint ejus diversæ formæ

Quid est Conclusio?

Conclusio est exitus, & terminus totius orationis. *Aristot. Rhet. lib. 3. c. 19. Therm. Tull. Strom. 2. Sect. 5.*

Annon variæ sunt Conclusionis formulæ?

Tres equidem usurpantur Conclusionis formulæ.

Quænam est prima?

Enumeratio, quando summatim colligimus, quibus de rebus verba fecerimus, atque vel monemus, vel oramus auditores, ut se sententiæ nostræ accommodent, faciantque quæ proponimus. *Keck. lib. 1. Syst. Rhet. cap. ult. pag. 833. Drosserm. l. 1. Rhet. p. 109. Amon. Scorm. in dialogo.*

quidam apud Keck de Rhet. Eccl. pag. 189. *Unde.*

16 *Unde desumenda est illa Enumeratio?*

Initium Enumerationis sumitur ab ordine servato in divisione, aut certè à primo membro principali qd in Confirmatione tractatum fuit, cætera deinceps ordine sequentur.

Quænam est secunda formula?

Indignatio, seu *Amplificatio*, quibus nimirum moventur auditorum affectus.

Quomodò verò potest illud commodè fieri?

His præcipuè modis; *Primò*, quando ostendimus quanta res sit qua de agitur, quam curæ fuerit hæc Deo, majoribus nostris, regibus, civitatibus, sapientibus, &c. *Deindè* ad quos pertineat, nempe ad omnes, ad superiores, pares, inferiores, ad religionem, politiam. *Tertiò*, præponimus quæ metuenda inde veniant atrociora mala, aut ampliora bona: *Quartò*, revocamus in memoriam, quæ antea fuerunt eadem de re judicia tum vicinorum, tum hostium, & quorumcunque: *Quintò*, explicamus voluntatem, consilium & fines eorum, qui id de quo agitur peregerunt: *Sextò*, genus & modum ipsius facti aptis verbis & figuris exponimus, veluti incremento, imagine, quam ob oculos breviter ponamus, dicendo rem esse novam, atrocem, facilem, difficilem, &c. *Septimò*, addimus etiam collationem seu comparationem per quam res major appareat. *Octavò*, omnia quæ in negocio gerendo acta sunt, quæque consequi solent, acriter & cum affectu inculcamus.

Quænam est tertia formula?

Conquestio seu *Commiseratio*, qua breviter movemus ad misericordiam.

Illud

Illud verò quot fieri solet modis? 17

Sexs *Primò*, varias ostendendo fortunæ mutationes; in quibus commodis fuerimus, & quibus nunc inhæreamus incommodis: *Secundò*, quid futurum sit, si non juvemur: *Tertiò*, supplices nos exhibemus, atque oramus, ut ætatem, sexum, dignitatem, vitæ genus respiciant: *Quartò*, suggerimus quid ad alios venturum sit mali, ad parentes videlicet, ad liberos, vicinos, cognatos, conclives, si nostri non habeatur ratio: *Quintò*, proponere licebit & vitam honestè anteactam, beneficia erga rempublicam ipsos quoq; auditores: *Sextò*, monebimus ut secum ipsi reputent, quid vellent fieri, si eodem, quo nos simus loco, essent.

Quomodo tribus hisce Conclusionis speciebus commodè & aptè uti licebit?

Prima certè communis est cuicunq; causarum generi; duæ posteriores magis accommodæ sunt generi Judiciali. *Exempla Perorationis vide infrà pag. 25. & 39. item lib. 2. cap. 2. & seq.*

Hæc de tribus Causarum generibus summatim, déq; oratione exornanda secundum omnes partes generatim *dicta sufficiant: jam aggrediamur eadem causarum genera* singulatim, *doceamúsq; quomodò in singulis generibus exornetur oratio, partésq; illius dextrè componantur: nam ut optimè Crassus. Didicit, inquit, causas partim in judiciis versari partim, &c. Lib. 1. de orat. pag. 299.*

CAPUT.

CAPUT SECUNDUM.

De genere Demonstrativo.

§. 1. *Quænam præcipuè themata in genere demonstrativo occurrunt?*

Aristot. Rhet. lib. 1. cap. 9. Voss. Instit. lib. 1. cap. 5 pag. 138. Keck. lib. 1. Syst. Rhet. special. cap. 18. pag. 531. Ioh. Geo. Gross. de formandis orat. lib. 2. cap. 2. pag. 23. & seq. Dress. lib. 1. Rhet. pag. 348. Quintil. lib. 3. cap. 9. Soar. Rhet. lib. 1. cap. 42. & seq. Alst. orat. lib. 2 pag. 43. Thorn. Tull. Strom. 3. Sect. 4. Subsect. 3. & seq.

LAudationes & vituperationes, nec non longiores quarundam rerum descriptiones.

Quænam sunt quæ laudationem subeunt?

Tria: *Personæ*; ut Archias, Evagoras. *Facta*; ut factum Cæsaris, quod M. Marcellum, qui hostis fuerat, pristinæ dignitati reddidit: & factum Reguli, qui sponte rediit ad Carthaginenses. *Res*; ut * animal quoddam, aut planta, aut hujusmodi, Philosophia, Medicina, aut illiusmodi, civitas, flumen, hortus, &c.

* *Laudatio Cygni apud Dress. p. 412.*

§. 2. Persona *si sit laudanda quomodo procedendum erit?*

Alsted. lib. 4. de method. Eloquent. c. 15.

Personam aptè laudabimus, si primò ponamus *statum* ob oculos, deindè *orationem* nostram secundum partes suas adornemus.

Quid est Status?

Statum vocamus propositionem complectentem summam rei sive negotii de quo agitur; ad hunc tanquam ad scopum universa quæ sumus dicturi dirigenda sunt, sit igitur con-

conſcribendæ orationis ſtatus. *Euagoras meritò eſt laudandus.*

Poſt Statum, *jam accedamus ad ſingulas* orationis partes, *& primò quomodo inſtituetur* Exordium?

Exordium componi debet ſecundum regulas prædictas. cap. 1. §. 4.

Cedò exemplum Exordii de laude Perſonæ?

Sit pro exemplo illud *Ciceronis Principium* in oratione pro Archia Poeta. *Si quid eſt in me ingenij (Judices) quod ſentio quam ſit exiguum,* &c.

Qualis adhibenda eſt Narratio?

Illa quæ eſt *ipſius cauſæ*; quæ efformari debet ſecundum regulas dictas. *cap.* 1. §. 5.

Cedo exemplum Narrationis?

Sit pro exemplo illa *Ciceronis* in oratione pro Archia Poeta. *Nam ut primum ex pueris exceſſit Archias,* &c.

Semperne adhibenda eſt Narratio?

In hoc certè genere, in quo inſtituitur laus perſonæ, *Narratio* omitti poteſt jure optimo, propterea quod, quæ de vita moribuſque dicenda ſunt, ſparguntur per totam confirmationem, atque ad ejus laudem explicantur.

Qualis in laude perſonæ eſt adhibenda Diviſio?

Alterutra prioris generis, vel illa quæ fit per *Enumerationem*, vel illa quæ fit per *Expoſitionem.* cap. 1. §. 6.

Cedò exemplum Diviſionis per Enumerationem?

Sit pro exemplo illa *Ciceronis* pro lege Manilia:

20 nilia : *Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de Imperatore deligendo esse dicendum.*

Hæccine Divisionis species an semper sequitur Narrationem ?

Minimè. Nam in orat. pro Archia ponitur ante Narrationem, his verbis ; *Quòd si mihi à vobis tribui concediq; sentiam, perficiam profectò, ut hinc Aulum Licinium non modò non segregandum, cum sit civis, verùm etiam si non esset, putetis adsciscendum fuisse.*

Cedò exemplum Divisionis per expositionem.

Sit pro exemplo illa *Ciceronis* in oratione pro M. Marcello. *Nullius est tantum flumen ingenii, &c.* ubi significat se dicturum de Cæsaris clementia.

Sempérne adhibenda est Divisio ?

Sanè omitti quandoque, si ita videatur, potest ; maximè si in ipsa confirmatione dicendorum ordo satis perspicuè demonstrabitur.

Qualis in laude Personæ adhibenda est Confirmatio ?

Talis nempe in qua omnes res, ex quibus laus personæ potest crescere, explicabuntur, *cap. 1. §. 7.*

Qui sunt autem illi loci ex quibus illæ colligumur ?

Septendecim præcipuè, quos ego ad tria revocabo capita. 1. respicit *ortum*, ut Natio, &c. 2. *vitam*, ut Educatio, &c. 3. *obitum*, ut Vitæ exitus, &c.

Quinam est primus locus ?

Natio ; Græcus ne sit an Barbarus, Gallus an Anglus.

Quænam

Quinam eſt ſecundus?

Patria; Romanus ne ſit an Londinenſis; Oxonienſis an Cantabrigienſis; habent enim urbes propria inſtituta, mores, leges. *Archias natus eſt Antiochiæ ubi florebant ſtudia literarum.* *Dreß. Rhet. lib. 1. pag. 35. Quint. lib. 5. c. 10. in corpore, ubi deſinit locum ſedem argumenti. Alſt d. Orat l. 4. cap. 6.*

Tertius?

Genus ſeu natales, majores, parentes, propinqui ſi ſint ſplendidi, nobiles, honeſti.

Quartus?

Sexus; aliæ virtutes in muliere, aliæ in viro commendantur.

Quintus?

Nomen proprium, quod aliquando peculiaris cujuſpiam rei admoner. Ita laudatur *Gregorius*, quia *vigilans* fuit & perſpicacis ingenii Epiſcopus. Ita laudatur reverendiſſ. Archiepiſcopus Cantuarienſis *Georgius*, quòd divini fidus ſit *cultor agelli.* Et certè *nomina propria deberent emi magno pretio ſi venderentur. Licet enim argumentum ex nomine proprio neceſſariò non concludat, tamen ex nomine bono oritur bona præſumptio, & ex nomine pravo nonnunquam oritur ſiniſtra ſuſpicio.* Panormitan. A. H.

Sextus?

Dotes corporis, ut agilitas, gracilitas, pulchritudo. *Euagoras egregia forma fuit & roboris ſpecimen exhibuit in orationibus.*

Septimus?

Natura ſive ingenium; & bona animi; ubi exponitur ad certas virtutes propenſio, ad literas item, ac Philoſophiam, ad probitatem & quemlibet honeſtum laborem.

Octavus?

Educatio;

22 *Educatio*; multum refert apud quos, & quinmodò quis educetur.

Nonus?

Studia atque artes; quas quisque sectatus fuerit, & apud quos Magistros. *Archias ad scribendos versus sese contulit.*

Decimus?

Vitæ genus; Agricola ne sit an Miles, item Conjugatus an cœlebs.

Undecimus?

Conditio; Magistratus an privatus, pauper an dives, servus an liber. *Evagoras in administratione regni versabatur.*

Duodecimus?

Bona fortunæ; cujusmodi sunt, amicitia, facultates, hæreditates, victoriæ. *Archias laudatur quod summos viros amicos habuerit.*

Decimus tertius?

Res gestæ publicè & privatim. *Archias descripsit res Cymbricas. Evagoras regnum paternum mirabiliter recuperavit; recuperatum administravit sapientissimè.*

Decimus quartus?

Præmia rerum gestarum & honores, munera, triumphi, *&c.*

Decimus quintus?

Senilis ætas. Evagoras ad senectutem pervenit, & in ea præclarè egit.

Decimus sextus?

Vitæ exitus lætus, honorificus, gloriosus, *&c.*

Decimus septimus?

Opinio post mortem seu quæ mortem sunt consecuta; ut funeris pompa, querela bonorum, judicium vulgi,

Is ne,

Iisne, quos jam enumeravimus, locis semper standum est?

Non est semper necessarium superstitiosè de singulis locis enumeratis aliquid proferre, sed de iis dicetur qui instituto conveniant. Quinetiam si quid sese offerat, quod locis, quos recensuimus, videatur non esse comprehensum, addi rectè poterit.

Istis verò enumeratis locis cum utendum nobis fuerit, quemnam in illis proponendis observabimus ordinem?

Quidam sequuntur temporum ordinem, quem paulò antè in locis recensendis ipsi observavimus; quod facit *Isocrates* laudans Euagoram. Quibusdam placet ita partiri, ut hinc collocent bona corporis, inde bona fortunæ, postremò bona animi; & de bonis animi differentes uno loco comprehendunt ea quæ pertinent ad prudentiam, alio quæ ad temperantiam, alio quæ ad fortitudinem, alio quæ ad justitiam; quali propemodum partitione usum videmus *Ciceronem* in orat. pro L. Manilia.

An ad laudem personæ exornandam sufficit hosce laudationis locos commemorasse, & nudè solummodò proposuisse?

Non; sed operæ pretium est subinde admiscere, quæ doceant, delectent, animósque quò cupis, pertrahant. Quamobrem aliquando proderit in commemoratione virtutis alicujus aliquantò diutiùs hærere, vel in locum communem digredi, vel certè sententias & pronunciata admiscere, ut, *Cicero* pro Archia exspatiatur in loco communi de laudibus *literarum* *Dress. lib. 2. Rhet. p. 394.*

24

rarum humanitatis, & pro Rosc. Amerino interponit non pauca de *Agricultura*.

Cedò jam exemplũ Confirmationis laudatoriæ?

Longum foret exemplum subjicere: Absolutissimum verò extat in Euagora *Isocratis*. Nec difficile esset exercitii gratia colligere ex oratione pro Archia, quæ justum confirmationem laudis *Archiæ* exhiberent, item ex oratione pro L. Manilia, in qua de eligendo imperatore verba faciens summis *Pompeium* vehit laudibus.

Vide Dress. lib. 1. Rhet. pag. 363. & seqq.

Isocratis Evagoram, pro qua orat. persolutum est oratori pretium viginti talentorum, reperire licet apud M. Dress. lib. 2. pag 592.

Anne habet Confutatio *locum in laude Personæ?*

Certè hìc Confutatio non est necessaria, nisi fortè obveniat quod adversarii jure objicerent, nosque nequaquam possemus præterire aut dissimulare; hinc si fortè occurrat in hominis vita aliquod laude indignum, quod vel defendendum, vel excusandum est; Confutatio aut aliquid Confutationis vice alicubi interponitur. Certè longa Confutatio locum non habet, cum nullus unquam suscipiatur laudandus adversus quem multa odiosè objici queant.

Age, brevem quandam formulam Confutationis exhibeto.

Regi *Dejotaro* objiciebatur criminis loco, quod exercitum sibi conscripsisset adversus Cæsarem. Sed quæ adversarii ad id comprobandum in medium produxerunt, breviter & argutè evertit *Cicero*. ibi. *Reliqua pars accusationis duplex fuit: una regem semper*, &c.

Quomodò tandem in laude Personæ instituetur Conclusio?

Conclusio

Conclusio brevis erit, constans potissimum *repetitione*; cui *amplificatio* aliqua addi poterit. Rectè etiam per exhortationem ad congratulandum vel imitandum finitur. *cap.* 1. §. 9. 25

Scaliger l. 2. Rhet. c. 27.

Cedò exemplum Conclusionis.

Si pro exemplo & paradeigmate illa *Ciceronis* pro Archia Poeta, constans præcipuè enumeratione & repetitione. *Quare conservate, judices, hominem pudore eo, quem amicorum studiis videtis comprobari: tum dignitate, tum etiam venustate, &c.*

Persona si sit vituperanda, *qua ratione illud faciendum erit?* §. 2.

Ex iis, quæ dicta jam sunt & exposita de ratione laudandi personam, intelligi facilè poterit, quomodò contraria ratione & locis inventionis in diversum expositis, possit persona vituperari. Hìc enim maximè valet Logicorum regula, *Contrariorum contraria est ratio*; quæ etiam accommodanda est laudationibus *Facti & Rei*, ut ne amplius illam repetamus.

Vide exemplum satis accommodum apud Dress. lib 1. Rhet. pag 384. Contraria sunt contrariorum consequentia. Tust. 5. vide tres illos generales locos de ingressu in hanc mundum sive ortu, de progressu sive vita, & egressu sive obitu in contrarium detortos apud Th. Wright nostratem l. 5. de passion. animi, p. 262 ult. edit.

Cedò tamen nonnulla hujusce rei exempla.

Exempla pronum est observare apud *Ciceronem* in invectivis, in actionibus Verrinis & Philippicis.

Factum *verò si sit laudandum quomodò procedendum erit?* §. 3.

Factum aliquod laudaturus, primum in-

tuere

26 tuere *statum*: verbi causa. *Sit laudandum Cæsaris factum, qui M. Marcellum recepit in gratiam*, deinde *orationem* secundum singulas suas partes adornato.

Alsted. orat. lib. 4. cap. 15.

Exordium *ergo quomodo formabitur?*

Exordium ea ratione, quæ antea exposita est, tractabitur, *cap. 1. §. 4.*

Narratio *quomodo instituetur?*

Narratio, si omnibus de facto constat, negligitur; quemadmodum *Cicero* facit in oratione pro M. Marcello. Si non constat, dilucidè exponetur.

Divisio *qualis erit?*

Divisionem liberum est simpliciter vel prætermittere, vel adhibere.

Confirmatio *quomodo componatur?*

Prælect. Rhet. pag. 479.

Confirmatio tres præcipuos habet locos, Honestum, Utile, difficile.

Quomodo ostenditur factum aliquod esse honestum?

Probatur id ex eo quod justum sit: justum autem esse docetur, si in eo elucet pietas erga propinquos, patriam, rempub. elucet observantia erga magistratus benè meritos, elucet rectæ rationis & naturæ dictamen, similiter etiam si factum cum prudentia, fortitudine, temperantia conjunctum declarabitur.

Quomodo ostenditur factum aliquod esse utile?

Probabitur id ex eo, quod sit necessarium reip. conservandæ, illustrandæ religioni, prodesse magistratibus, subditis, omnibus ordinibus, præsentibus, posteris, domesticis, pere-

peregrinis, similiter si factum cum jucunditate etiam conjunctum declarabitur.

Quomodo ostendisus factum aliquod esse difficile?

Certè τὰ χαλεπὰ καλὰ. Ex eo enim laus crescit, quod negotium arduum sit, nec facilè à quopiam absolvi potuerit: quod multorum conatus sæpè in eo frustrati, quod rarò aut nunquam simile visum sit. Difficultas autem præterea ex *circumstantiis* rei gestæ colligitur.

Quænam ergo sunt istæ Circumstantiæ?

Wright *de pass. animi, lib* 5. *Sect.* 3. *pag* 189.

Quædam personis, quædam rebus conveniunt. Hoc autem versiculo suggeruntur. *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

An ad laudem facti sufficit nuda istorum locorum enumeratio & propositio?

Minimé. Probationibus enim quædam utiliter annectenda sunt ad docendum, delectandum, & movendum: cujusmodi sunt sententiæ, Apophthegmata, exempla, historiæ, & id genus ex * Poetis, Philosophis, Historiographis facilè parabilia.

Quint. lib 8. *cap.* 5.

* *Ludovic. Viv de caus. corrupt. art. lib.* 4. *pag.* 141.

Cedò jam exemplum istiusmodi Confirmationis.

Pro exemplo sumatur illa *Ciceronis* in oratione pro M. Marcello. *Nam bellicas laudes solent quidem extenuare verbis, easque detrahere ducibus, &c.* quæ quidem tota Oratio in laude facti versatur.

Annè hîc Confutatio *locum habet?*

Confutatio si suspicamur quædam contraria adferri posse ad demonstrandum factum

28 non esse honestum, difficile, utile; meritò adhibeatur: aliàs omitti poterit, sicut pro M. Marcello facit *M. Cicero.*

Quod si tamen opus fuerit confutatione, quomodò eam tractabimus?

In ea certè occurrendum est objectis; ut si quam adversarius dixerit stultitiam, nos contrà prudentiam, quam ille sævitiam nos severitatem, quam ille temeritatem nos fortitudinem, quam ille tenacitatem nos frugalitatem ostendamus.

Conclusio *qualis adhibenda est?*

Conclusio ad leges superiùs præscriptas efformabitur, *cap.* 1. §. 9. Rectéque hic interseretur adhortatio brevis ad collaudandum & congratulandum, ad agendum gratias, & ad imitandum factum.

§. 4. Res *verò si laudanda sit, quomodò procedendum erit?*

Status primum obtineat locum: ut *laudanda est Philosophia, medicina,* item *civitas, ædificia, regiones, montes, flumina, convivia, ritus vera,* aliáque id genus occurrunt laudanda: deinde *orationem* ipsam aggredere.

Quomodo instituetur Exordium?

Eo modo, quo de jam antea diximus, *cap.* 1. §. 4.

Quomodo efformabitur Narratio?

Narratio locum hîc non habet, nisi res, quam susceperis laudandum, non sit omnibus perindè nota.

Quid tum fiet de Divisione?

Divisio, si libeat orationem partiri in certa capita, adhiberi potest, *cap.* 1. §. 6.

Qualis

Qualis erit Confirmatio ?

Confirmatio tribus modò enumeratis locis instituetur, nempè honesto, utili, difficili, aut facili, §. 3. *hujus cap.*

Unde desumenda est rei honestas ?

Sumitur ex causis efficientibus, itémque adjunctis : ut ab inventoribus, ab antiquitate, à dignitate, à virtutibus, quæ ipsi rei videntur insitæ & conjunctæ.

Cedò exemplum.

Philosophia est donum Dei, est antiquissima, atque omnium disciplinarum parens, in qua præstantissimi homines occupantur, quæ docet virtutes, atque honestas actiones, docet investigare naturas rerum, &c.

Unde desumanda est rei utilitas ?

Sumitur ex finibus, effectibus, consequentibus.

Cedò exemplum.

Philosophia multa adfert præsidia vitæ, monstrat námque disciplinam de moribus, tradit leges, formam administrandæ reipub. subministrat, medicinam docet, &c. Item prodest omnibus hominum ordinibus, nobilibus, plebeiis, adhæc omni ætati, denique quovis tempore, tàm in adversis, quàm in secundis.

Quid refert, res sit facilis vel difficilis ?

Imò multùm refert; ut res majori sit in admiratione, aut etiam avidiùs expetatur.

Cedò breviusculam rei laudationem ob difficultatem.

Profundissima quidem sunt Philosophiæ mysteria, intimasque rerum naturas rimari difficillimum, at quò difficillius eò pulchrius haberi debet,

30 *pulchra enim quæ sunt, ea quoque sunt difficilia. Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas.*

Cedò jam totius confirmationis exemplum.

Pro exemplo sumatur illa laus humaniorum literarum, nominatim verò ipsius poëseos apud *Ciceronem* in orat. pro Archia. *Atqui sic à summis hominibus, eruditissimisque accepimus, cæterarum rerum studia, & doctrina, & præceptis, & arte constare, Poëtam natura ipsa valere, mentis viribus excitare, & quasi divino quodam spiritu adflari,* &c.

Annè Confutatio *hic adhibenda erit?*

Quoties objici aliquid dilutione dignum potest, Confutatio etiam addi potest, *cap.* 1. §. 8.

Quem in finem adjicienda est Conclusio?

Ut (præter Enumerationem vel amplificationem) excitentur auditores ad magnificiendum, ad amandum, colendumque eam rem, qua de agimus.

§. 5. *Ad hoc laudandi genus dixti pertinere longiores regionum, civitatum,* &c. *descriptiones, de iis ergò quæso agamus sigillatim, méque edoceas velim imprimis quomodo laudari possint* Regiones.

Dresser. Rhet. p. 425. Alsted. l. 4. cap. 6.

Regiones laudantur. 1, à regibus ac ducibus. 2, à situ & locorum vicinia. 3, ab aëris clementia. 4, ab aquis, fluviis, stagnis, mari. 5, ab urbium frequentia & celebritate. 6, à virtute bellica. 7, ab institutis & legibus. 8, à cultu religionis. 9, à fertilitate. 10, à frugibus. 11, ab animalibus.

Cedò exemplum?

Apud

Apud *Ciceronem* in Verrina quarta extat laus *Siciliæ*. apud *Plinium* lib. 3. cap. 5. *Italiæ*.

Quanam ratione laudantur Civitates?

Variis. 1, à conditore. 2, ab antiquitate. 3, à ſitu. 4, ab aëre. 5, ab aquis. 6, ab artium diverſarum cultu. 7, ab opibus & rerum abundantia. 8, ab inſtitutis vel legibus. 9, à virtute bellica. 10, à ducum & civium virtutibus. 11, à ſenatu. 12, à mercatu. 13, ab ædificiorum ſplendore, & ſimilibus. *Dr. ſſ. Rhet. p. 43.*

Cedò exemplum.

In actione ſexta contra Verrem deſcribitur *urbs Syracuſæ*.

Quomodo laudantur Ædificia?

Primò, ab authore. 2, ab amplitudine. 3, à figura. 4, ab uſu, veluti ſi ſint dicata peragendis ſacris, defendendæ civitati, habendo ſenatui, inſtituendæ juventuti. 5, à ſitu & proſpectu. 6, à partibus. h. e. à veſtibulo, penetrali, officinis, conclavibus, triclinïis, aquis, ab adjunctis hortis, à ſpeculis.

Cedò exemplum.

Apud *Virgil.* Æneid. 1. *Templum Carthaginenſe* deſcribitur. In Verrina autem *Ciceronis* ſexta deſcribuntur *valvæ templi Syracuſanorum*.

Quomodo laudantur Montes?

Laudantur montes, 1, à radicibus, 2, ab iis quæ in ipſis naſcuntur, vel herbis, vel aliis rebus, 3, ab iis quæ effodiuntur, item ſi quid memorabile habeant, 4, à fontibus inde ſcaturientibus, 5, ab aliis rebus variis & prodigioſis.

32 *Cedò exemplum.*

Ætnam eleganter describunt *Virgilius, Claudianus, Plinius, & Aulus Gellius*, l. 17. c. 10

Flumina *si veniant describenda, quomodò laudantur?*

Ab ortu primò, deindè ab amplitudine. 3, à celeritate. 4, ab insulis, si quas continent. 5, à locis adjacentibus. 6, à nemoribus, civitatibus, pascuis quæ rigant. 7, à genere piscium. 8, à metallis sive lapidibus, si quos proferant. 9, à salubritate seu peculiaribus effectibus naturalibus.

Dresserus l. 2. Rhet. p. 453.

Cedò exemplum.

Plinius Nilum Ægypti *fluvium* describit lib. 5. cap. 9. *Cæsar* in lib. de bello Gallico *aliquos fluvios* describit.

Quomodò describuntur Pompæ, *sive funebres, sive triumphales?*

Primò, à causis & finibus, ob quos constituuntur. 2, à personis quæ interfuerunt: earúmque dignitate, habitu. 3, ab actionibus & apparatu. 4, ab interpretatione earum actionum. 5, à spectaculis, si quæ exhibita fuerunt, & hujusmodi.

Quomodò depinguntur Convivia?

Iisdem sanè locis quibus Pompæ celebrantur, nisi quod fercula, colloquia, & locus ipse interdum pleniore sermone explicantur.

Itinera *etiam quomodò describuntur?*

Describuntur itinera seu peregrinationes, commemorando loca ex ordine occurrentia, & siquid in iis fuerit memorabile, res quoque gestas toto profectionis tempore, inopi-

inopinatos eventos tàm proſperos quam adverſos, & ut res tulerint, itineris jucunditatem, utilitatem, &c.

Aliæ res annon quandoque in laudem incurrunt?

Maximè: ex hiſce verò formulis haud difficile eſt colligere, quomodò aliæ etiam res laudandæ veniant. Utque copiam habeas argumentorum ſemper ad manum, maximèque expeditam, non abs re fuerit rerum cauſas, effectus, adjuncta, conjugata, oppoſita ceteróſque locos Topicos noſſe & ediſcere præcipuè ex *Ramo* l. 1. Dialect. Qui tamen in eo videtur reprehendendus, quod nudas definitiones locorum aliquot exemplis illuſtratas propoſuerit, neque indicaverit modum & rationem, qua peti poſſunt ex iſtis locis argumenta, neque regulas canonéſque docuerit, quando valet argumentum à cauſa ad effectum, à ſubjecto ad adjunctum, & ita deinceps, quod Logicum vel maximè decebat.

De locis internis & externis, Thomæ Tull. ſtrom. 1. Sect. 2, & 3, Tho. Wright noſtrâs omnes iſtos locos ad quatuor revocat quæſtiones, Quid nominis, Quid rei, Quale ſit, Propter quid ſit. l. 5. de paſſ. animi. Sect. 4. p. 185.

Hoc nolim à me dictum quiſquam exiſtumet ſugillandi ſtudio, imò mirari ſoleo Ramæum ingenium & venerari, & ſi iſtas regulas in Topicis non omiſiſſet, proculdubio omnes, qui de iſta Logices parte ſcripſerunt unquam, multis paraſangis poſt ſe reliquiſſet vir acutiſſimus. Sed hoc obiter. Si quid pecco hac in re, maturiora doctorum judicia & monita non eſt quod recuſem.

Ne videatur cuivis ἀπροσδιόνυσον, ſi datâ hac occaſione de *Logica* etiam hic in

34 *Rhetorica* aliquid moneam tyrones, ne ἀμυδρολογίαν admittant vel αὐγχυσιν in ſtudiis Logicis. *Rhetorica* n. vicina eſt & finitima (ut *Cicero*) imò ἀδελφὴ τῆ (ut loquitur *Ariſtoteles*) quaſi dicas, adnata *Logicæ* & ex eadem orta radice, neque aliter differunt quam pugnus & palma: nam hæc latiùs, illa ſtrictiùs rationem proponit & concluſionem probat. Rationes verò probandi eædem planè ſunt quoad ſubſtantiam cùm in *Logica* tum in *Rhetorica*, docente *Ariſtotele lib.* 1. *Analyt. Poſterior. cap.* 1. ὡσαύτως, *eodem modo etiam oratoriæ rationes perſuadent: aut n. exemplis probatio fit, quæ ſunt inductiones; aut Enthymematibus, quæ ſunt Syllogiſmi.* Quare brevibus explicabo mentem meam; imò breviùs dicam quàm res tanta dici poteſt. *Logica* ſuum habet τετράσυλον, i. quatuor columnas quibus conſtat. 1 eſt *Terminus ſimplex.* 2 eſt *Propoſitio,* 3 eſt *Syllogiſmus.* 4 eſt *Methodus.* I. columnam attingit *Porphyrius* in Eiſagoge, & *Ariſtoteles* in libro Categoriarum; copioſiſſimè verò & accuratiſſimè iſtam Spartam ornavit *Barth. Kecker. lib.* 1. *Syſtem. Log.* Qua in re (abſit verbo invidia) nulli Logicorum cedit. II. Doctrinam de propoſitione habes apud *Ariſtotelem lib.* περὶ ἑρμηνείας. Hunc benè contraxit *Edwardus Brerewood* quondam Æneanaſenſis in Elementis Logicæ. III. Doctrina de Syllogiſmo duplex eſt, vel de Syllogiſmo formando, vel de Syllogiſmo formato. Syllogiſmus formandus eſt Syllogiſmus ſecundùm formam, apud *Ariſtotelem* libris prior. Analytic.

Syſtem. Log.

Elementa Log.

lytic. De Syllogismo conficiendo optimè monet noster *Crakanthorpus*, olim Reginensis in Tractatu suo de Syllogismo. Syllogismus formatus est Syllogismus secundum materiam, eámque duplicem; vel necessariam, vel probabilem. Si materia sit necessaria, Syllogismus est Apodicticus vel Demonstrativus. Doctrinam de Demonstratione post *Aristotelem* libris posteriorum Analytic. copiosissimè tractavit *Jacob. Zabarella.* Sed ne morentur tempora tua isti prolixiores discursus, lege hanc doctrinam brevissimè simul & enucleatissimè propositam à *Sam. Smitho* Magdalenensi in Aditu suo ad Logicam. Si materia Syllogismi sit probabilis, tum est vel verè, vel apparenter probabilis. Hinc emergunt Syllogismus Dialecticus, vel (ut appellant) Topicus, & Elenchus Sophisticus. Syllogismi Dialectici maximus usus est in *Rhetorica.* De hoc agit *Aristotcles* libris Topicorum; Sed nimis longum foret istos pervolvere nostris temporibus non satis accommodatos. Habes hanc doctrinam faciliori methodo, & feliciori stylo conscriptam à *Pet. Ramo.* Cujus defectum suprà notatum supplevit *Rob. Sanderson* Lincolnienſis, subnectens locis topicis Canones, & ex locis argumentandi rationem docens luculentissimam in Compendio suo Logicæ, qui hac ex parte laudem validè meretur. Doctrinam de Elenchis Sophisticis vel Fallaciis, ut appellant, apud *Aristot. lib. de Sophisticis Elenchis*, benè & methodicè disposuit *Paulus ab*

Tractatus Log.

Aditus ad Log.

Compendium Log.

36 *Eitzen*, & *Griffinus Powel* Collegii Jeſu nu-
Analyſi Log. per Principalis in Analyſi ſua tricas omnes Sophiſtarum expedivit & laqueos operâ non contemnendâ. IV. De Methodo apud *Ariſtotelem* nulla mentio, quamvis *Zabarella*, qui nimiùm ſibi hac in re ſapere videtur, in ea poſitus ſit hæreſi, ut exiſtumet ſubjectum librorum Poſter. Analyticorum nihil aliud eſſe quam Methodum, ita ſcribens. *Nullum aliud iſtis in libris conſilium Ariſtotelis fuiſſe arbitramur, quam de methodis agere. Idque optimè & artificioſiſſimè ipſum præſtitiſſe non dubitamus.* Zabar. Log. pag. 275. B. & p. 318. C. Verùm doctrinam de Methodo μεθοδικῶτατα compendioſiſſimè tradit *Keckermanus* in Epitoma ſive Compendio Syſtematis Logici. Ubi rem totam idoneis quoque exemplis illuſtravit. Sed (ne videar ἀλλοτριοεπιστοπα) *manum de tabula.* Sequitur genus Deliberativum. •

Epitome Log.

CAPUT:

CAPUT TERTIUM.

De genere Deliberativo.

Quænam præcipuè Themata in genere Deliberativo occurrunt? §. 1.

SUasiones & dissuasiones, quibus accedunt exhortationes, petitiones, &c. *Gross. de formandis orat. li 3. c. 1. p. 91. & seqq.* συμβουλῆς τὸ μὲν, προτροπὴ, τὸ δὲ ἀποτροπὴ. *Deliberationis quidem una pars est suasio, altera dissuasio. Arist. Rhet. lib. 1. c 3 Dress. l. 1. Rhet. pag 216. & seq. satis multis. Quint. lib. 3. Instit. c. 10. Soar. Rhet. lib. 1. cap. 50. & seq. ad finem libri primi. Vess. Institut. lib. 1. c. 4. ubi exempla hoc in genere non spernenda invenire licet. pag. 62. Alsted. orat. l. 4. c. 6. c. 15. Thorn. Tull. strom. 3. Sect. 5 Quamvis Keckermanno ista non arrident. lib. 1. Syst. Rhet. special. cap. 9. p. 4. 7.*

Ut apta fiat suasio, quid faciendum?

Primò, intuere *Statum*; veluti, *sitne lex recipienda? Si pax cum hostibus est componenda?* deindè *orationi* incumbe.

Quale erit Exordium?

Efformetur in *genere* secundum præfixas, prædictásque regulas: *cap. 1. Sect. 4.* in *specie* verò tam hîc quam in tota oratione habenda est & eorum qui deliberant, & ejus qui suadet, & negotii de quo deliberatur, ratio: videndúmq; ne quid unquam contra horum dignitatem committatur.

Narratio *semperné necessaria?*

Non semper: prodest tamen occasionem deliberationis, nisi fortè prius nota sit, summatìm explicare.

Estné Divisio *adhibenda?*

Divisio

38 Divisio certè hic locum habet, quomodo à *Ciccrone* quoq; positam videmus in oratione pro lege Manilia, quæ tota versatur in genere Deliberativo, utpotè qua suadet, ut Cn: Pompeio belli Mithridatici summa committatur.

Quomodò conficiam Confirmationem ?

Ista absolvitur tribus potissimùm locis, Honesto, Utili, & Facili.

Quomodò suadebo ab honesto ?

Illud tibi liquidò constabit, si ad laudem Facti recurras. *c.2.§.3.* Quibus enim locis seu probationibus, quod factum est laudatur, iis faciendum aliquid suadetur.

Quomodò ab utili ?

Istius quoq; loci probationes ibi loci expositas reperies, *cap.2.§.3.*

Quomodò tandem à Facili ?

Benè mones. Frustrà enim suadeas quæ perfici haud possunt. Facile autem aliquid esse demonstratur, quum dicimus quod in nostris viribus positum sit, cum ostendimus quid valeat diligentia, assiduitas, pertinacia, quid accessurum sit ex ope, consiliis, auxiliis aliorum, superiorum, parium, propinquorum, extraneorum: ubi tamen ante omnia diligenter nobis attendendum est circumstantiis, nempè quid loco, quid tempori, quid personis, quid dignitati, quid ætati, sexui, negotii finibus, seu causis, quid modo agendi conveniat aut non conveniat.

Cedò jam exemplum ejusmodi confirmationis ?

Confirmationem in genere deliberativo videre

videre licet apud *Marcum Ciceronem* pro lege Manilia prolixam satis, non tamen secundum has præceptiones conscriptam. Alia brevior multò, & nostris etiam regulis accommodatior occurrit apud *T. Livium* Decad. 4. lib. 6. Ea oratiuncula est, in qua Acilius Consul suis suadet, cósque hortatur, ut adversus Ætolos hostes pugnam capessant, sic incipit. *Plerosq; omnium ordinum milites inter vos esse video, qui in hac eadem provincia,* &c.

39 *Vide insuper Dresser. lib. 1. Rhet. p. 224. & l. 2. p. 537.*

Quomodò verò Confutationem *instituam?*

Confutatio tibi parabitur, si adversariæ partis omnes rationes diluantur, h.e. vel demonstrentur non consentire cum honesto, vel inutiles esse, vel nimiùm difficiles, vel non ita appositæ.

Cedò exemplum.

Exemplum habes perspicuum satis apud *M. Ciceronem* pro lege Manilia, ubi refellit orator Q. Catulum & Hortensium. *At enim vir clarissimus reipub. & vestris beneficiis effectus Q. Catulus, itemq; summis ornamentis honoris, virtutis, ingenii præditus Q. Hortensius ab hac ratione dissentiunt; quorum ego authoritatem,* &c.

Qua demũ ratione instituam Conclusionẽ?

Conclusio constabit enumeratione & amplificatione, & artificiosa quadam suasione & protractione in nostram sententiam.

Cedò exemplum.

Peroratio illa *M. Ciceronis* in oratione sæpiùs repetita (quæ tota Deliberativa est) pro lege Manilia sit exemplo. *Quæ cum ita*

sint

40 *sens C. Manili, primùm istam tuam & legem, & voluntatem, & sententiam laudo, &c.*

§. 2. *Qua ratione possem orationem* suasoriam *conficere me satis edocuisti. Quæso jam ut qua via ad* dissuadendum *progrediar brevitèr velis indigitare.*

Quâ ad suadendum, eádem licet viâ progrediaris ex adverso ad dissuadendum, locis & argumentis petitis ab Inhonesto, Inutili, Difficili seu impossibili; hîc enim illud obtinet, *Contrariorum contraria est ratio.*

Dixti exhortationes, dehortationes, petitiones, commendationes ad hoc genus omninò pertinere.

Dresserus li. 1. Rhet. sua pag. 239. Omninò. Quare eodem prorsus artificio, iisdémque locis inventionis tractandæ veniunt, ita ut non opus habeant præceptionibus propriis, aliis.

Caput Quartum.

De genere judiciali.

§. 1. *Quænam præcipuè Themata occurrunt in genere judiciali?*

Aristot. Rhet. lib. 1. cap. 10. Thom. Tull. Strom. 3. Sect. 6. Accusationes inprimis & defensiones, item purgationes, expostulationes, &c.

Quomodò debet oratio hoc in genere per omnes partes absolvi?

Ante

Ante omnia intueri oportet *ſtatum*, deinde oratio ipſa eſt adornanda.

Quint. lib. 12. cap. 8.

Eſtne ſtatus *hoc in genere ſimplex?*

Minimè: triplex enim eſſe poteſt: 1, *Conjecturalis* & oritur ex queſtione, *An ſit factum?* 2, *Finitivus*, qui ex quæſtione, *Quid ſit?* oritur. 3, *Juridicialis*, qui à quæſtione *Quale ſit factum?* originem ſuam ducit.

Keck. lib. 1. Syſt. Rhet. ſpec. c. 9. pag. 450. Vide G. Groſſ. de formandis orat. lib. 4. cap. 1. p. 145. & ſeq. & Dreſſ. l. 2. Rhet. p. 148. Quintil. lib. 3. cap. 11, 12, 13. & per totum librum 5 & lib 7, 8, 9. Thom. Full. Strow. 3. Sect. 7. Subſect. 2 & ſeq. ſectionibus. Soar. lib. 1. Rhet. cap. 12. Voſſ. inſtitut. lib. 1. cap. 6. p. 171. Vincent. Spec. Doct. l. 4. c. 104.

Exemplis res fiet clarior; de ſingulis ergo quæſtionibus, ſi libuerit, ſubjice exempla.

Libens illud in tui gratiam facio. Ajax poſtquam reſcivit quæ per inſaniam feciſſet, gladio ſemetipſum in ſylva confodit; Interveniens Ulyſſes gladium cruentum educit; paulò poſt advenit Teucer Ajacis frater, Is Ulyſſem, quem antea fratris hoſtem noverat, reum homicidii inclamat. Negat Ulyſſes: hîc ergo ex *conjecturis* elicienda eſt veritas. Quare hujus cauſæ ſtatus erit *Conjecturalis. An Ulyſſes Ajacem occiderit vel non?*

Cedò inſuper exemplum ſtatus Finitivi.

Quidam ſuſtulit rem privatam è loco ſacro, quæſtio oritur, *ſitne ſacrilegium commiſſum, an verò ſimpliciter commiſſum furtum?* hoc patet ex *definitione*, qua de cauſa dicitur hic ſtatus *Definitivus.*

Appone, ſi placet, etiam exemplum in ſtatu juridiciali.

Appono, idque ex *M. Cicerone.* Clodium occiſum à Milone conſtabat omnibus, at

num

42 num *justè* occisus esset orta est quæstio: hinc ergo oritur status *juridicialis*, & Cicero hunc sibi proponit, *Clodius jure occisus est.*

Cum ergo status hoc in genere admodum varii sint, qua ratione deprehendam causæ ejus, quæ proponitur, statum?

Oportet causarum initia & progressus, hoc est, partes adversarias ad litem sese parantes animo contemplari, quod ubi diligenti admodum feceris indagine, obveniet procul dubio, de quo principaliter lis instituitur, atque hoc ipsum qualecunq; sit, status est & causæ caput.

Verùm hoc velim mihi explices exemplo breviore, vel in statu conjecturali.

In conjecturali elicitur facillimè status controversiæ ex *intentione* & *depulsione*, quas statim sequitur *judicatio*. v.g. 1, Intentio est, *Occidisti Ajacem Ulysses.* 2, Depulsio, *Non occidi.* 3, ergo judicatio & status ipse jam oritur, *utrum Ulysses Ajacem occiderit?*

§. 2. *De* statu *satis, tempus jam est, ut quomodò* oratio *ipsa sit adornanda me edoceas, Quale ergo erit* Exordium?

Alsted. Orator. l. 4. c. 5. Exordium in genere juxta præcepta semel tradita, *cap.* 1. §. 4. instituatur: in specie verò, qui accusatoris vel defensoris partes in se recipit, prudenter videbit, quid personam deceat; circumspectè aget in omnibus.

Qualem admittit hoc genus Narrationem? Narratio non est prætereunda; nihilque continebit iis, quæ probare intendimus, adversans. *cap.* 1. §. 5.

Quid fiet de Divisione?

Ea quidem pro arbitrio dicentis parabitur. *cap.* 1. §. 6.

Confirmationem *verò quomodò instituam?*

Cõfirmationis tractandæ non potest una præscribi communis formula, sed secundum diversos hoc in genere status alia est atq; alia; quare necessum habeo de confirmatione secundum statum conjecturalem, finitivum, juridicialem figillatim monere.

Qua ratione possim mihi parare Confirmationem in statu Conjecturali?

Si observaveris locos unde depromitur, eósq; duplices ἐντέχνους καὶ ἀτέχνους.

Groff. ubi supra. Dreß. l. 1. Rhet. p. 15. Quim. lib. 5. cap. 1. & seq. Alsted. or. lib. 4 cap. 7. De locis interniis & externis. Thomni. Pull. strom. 1. sect. 2. subsect 8. & sect. 3. subsect. 1. & seqq.

Quinam sunt loci artificiales ἔντεχνοι?

Duo sunt, *Voluntas* & *Facultas*.

Quomodò significatur Voluntas?

Dupliciter. 1, *ex qualitate personarum*, ubi à patria, à majoribus, ab educatione, à studiis &c. probationes duci possunt ad docendum, facinus à reo admissum esse. Defensor verò altera ex parte demonstrabit à natione, à majoribus, ab educatione, &c. nihil certi posse constitui, cum hæc non obsint, quo minùs quis in virum probum evadat. 2, *ex causa*, cujus duæ species sunt & partes. *Impulsio* nempè & *Ratiocinatio*.

Quid est impulsio?

Impulsio est causa συμπαθής, interior; ut livor, ira, invidia, ambitio, avaritia, & similes affectus animi temerarii, ex quibus factum admissum probabit accusator; defensor verò attenuabit.

Quid est Ratiocinatio?

Ratiocinatio est præmeditata excogitatio

ad

44 ad aliquid faciendum vel non, quæ est causa προκαταρκτικὴ, externa; ut si dicat accusator feciſſe reum adductum ſpe lucri, honoris, vel metu incommodorum; quod vel negabit defenſor, vel extenuabit, dicétque iniquum planè eſſe omnes ad quos aliquid emolumenti ex re quapiam derivabitur in ſuſpicionem maleficii venire.

Fuit Voluntas, *quomodò ſignificatur* Facultas?

Facultas ſignificatur tùm *ignis*, tùm *circumſtantiis*.

Quotuplicia ſunt ſigna?

Thom. Tull. ſtrom. 1. ſect. 2. ſubſect 22. De conjecturali ſtrom. 3. ſect. 1. ſubſect. 6.

Triplicia. 1, *Antecedentia*, ut ubi reus antè viſus ſit, & cum quibus, apparatus ejus, loquela, minæ. 2, *Adjuncta negotio*, ut clamor exauditus, tum cum res geſta eſt; ſi ullo ſenſu aliquid deprehenſum. 3, *Conſequentia*, ut neglecta inventáq; in loco cædis arma, cruor, rubor, trepidatio, titubatio, timor, ex quibus quædam ſunt τεκμήρια & neceſſaria, quædam εἰκότα & contingentia. Illa omnia, ut ratio poſtulaverit, adhibebit accuſator, quæ defenſor quidem refellere debet, imò & aliquando invertere; quum docetur ſignũ quod contra nos producitur, pro nobis facere.

Quomodò ſignificatur Facultas ex circumſtantiis?

Iſtæ quidem ſunt vel loci, vel temporis, vel occaſionis & modi: *loci*, ubi videndum opportunus ne fuerit an importunus, anguſtus an amplus, ſacer an prophanus, item an reus præſcierit alterum eò venturum: *temporis*, qua parte anni, nocte an interdiu: *occaſionis*, an idonea fuerit ad rem perficiendam vel minimè

nimè idonea: *modi*, ſponte an vi; palàm an occultè; prudens an imprudens: & omninò omnia, à quibus ſuſpiciones colligi poſſunt, opportunè adhibentur in conſilium. 45

Quinam ſunt loci ἄτεχνοι inartificiales?

Sunt illi quidem teſtes, rumores, codicilli, jusjurandum, chirographa, & ſimilia. *Soar. Rhet. li. 1. c. 29. & 30.*

Cedò exemplum iſtiuſmodi confirmationis in ſtatu conjecturali?

Exemplo illa ſit *M. Ciceronis* in oratione 43. pro Rege Dejotaro, ubi appoſitiſſimè demonſtratur, quomodò in cauſa conjecturali defenſor partes ſuas tueri debeat, & interpoſita etiam ſunt, quæ ad accuſatorẽ ſpectant; ſumma eſt. Cæſari non ſtructas eſſe inſidias à rege Dejotaro, quia neque illi fuit *voluntas* ſtruendi, nec *facultas perficiendi*: ſic incipit. *Is igitur non modò à te* (alloquitur Cæſarem ipſum) *periculo liberatus, ſed etiam honore ampliſſimo ornatus, arguitur domi te ſuæ interficere voluiſſe; quod tu, niſi eum ferociſſimum judicas, ſuſpicari profectò non potes*, &c. *Vide exemplum accommodum apud Dreſſ. Rhet. l. 1. pag. 159. & ſequentibus aliquot pagin.*

Poſt conjecturalem *deſcende ad ſtatum* Finitivum, *ſive Legitimum, qua ratione in eo ſtatu inſtituam Confirmationem?* §. 4.

Secundum diverſas in eo controverſias, diverſimodè poteſt inſtitui. Iſtæ autem (ut mihi videtur) omnes ad duo capita revocari poſſunt, quædam namq; *primariæ* ſunt, quædam *ſecundariæ*. *Thom. Tu. ſtrom 3 ſect. 2 & 10.*

Quænam primariæ *ſunt hujus ſtatus Controverſiæ?*

Iſtæ quæ ex *definitione* oriuntur, undè etiam & ſtatus ipſe nomen ſuum habet; Definitivus

46 tivus enim dicitur. v. g. 1, Intentio, *Tu Corneli es sacrilegus.* 2, Depulsio, *Ego sacrilegus non sum, sed duntaxat fur.* 3, Ratio, *quia rem duntaxat profanam, nec sacram furatus sum, quadruplum redditurus.* 4, Firmamentum, *Etiamsi rem profanam suffuratus sis: nihilominùs tamen ex æde sacra surripuisti.* Ex quibus rebus oritur jam. 5, Status definitivus, qui aliàs Judicatio dicitur. *Sacrilegusne sit an fur, qui profanam pecuniã in æde sacra depositam surripuerit?*

Quomodò ergo tractanda est Controversia ex definitione orta?

Dress. lib. 1. Rhet. p. 194. Quint. lib. 7. cap. 4.

Oportet quidem *primò* propriè definire utrumque nomen juxta leges definiendi, atque ostendere utrum eorum nostræ causæ serviat, ac facto conveniat; *dein,* contrariam definitionem evertemus, atque docebimus esse falsam, imperfectam, sophisticam, &c.

Cedò exemplum istius Confirmationis in statu Definitivo?

Aptissimum legere licebit apud *M. Ciceronem* in Philippica octava. Summa est hæc. Antonius Martinam obsidebat, ac Brutum Consulem oppugnabat, quare bellum adversus Antonium in senatu decretum est. Quidam autem vel mutuentes Antonium, vel existimantes nimis asperum id videri, contendebant mollire, atque dicendùm non bellum, sed potius tumultum; Cicero omninò demonstrat bellum appellandum. Sic incipit. *At in quo fuit Controversia? belli nomen ponendum esse in sententia quidam non putabant, tumultum nominare voluerunt, gnari, &c.*

Quæ-

Quænam sunt secundariæ *hujus status Controversiæ?* §. 5.

Quæ oriuntur 1, Ex contrariis legibus: 2, Ex ambiguo vel vocabulo vel scripto: 3, Ex translatione: 4, Ex Ratiocinatione. *Soarez. de Arte Rhet. lib. 2. cap. 14.*

Quomodo tractanda est Controversia orta ex Contrariis legibus?

Hac via oportet hîc progredi. 1, Legem pro nobis facientem recitabimus, explicabimus, collaudabimus. 2. Ostendemus eam causæ nostræ convenire, idque jure, usu, consuetudine, exemplis. 3, Legem ab adversario allatam docebimus vel non convenire causæ, vel, si conveniat, conciliari debère, aut pro nobis potiùs facere quàm contra nos. 4, Dispiciemus num lex illa per aliam abrogata, correcta & mutata. *Dresf. lib. 1. Rhet. p. 209. Quint. l. 7. cap. 8.*

Quomodo tractanda Controversia est ex ambiguo vocabulo?

Ea quidem oritur, quùm vox naturâ sit πολύσημος, vel cum mutatio sit accentus, generis, &c. v.g. *Paterfamilias amico legavit taurum: post mortem amicus servum petit, qui Tauri nomine appellabatur, hæres fatetur se quadrupedem debere.* 1, Ergo inspicienda est vocum proprietas. 2, Nostram interpretationem convenire ostendemus negotio, æquitati, legibus, consuetudini. 3, Docebimus interpretationem adversariorum contraria spectare. *Dresf. lib. 1. Rhet p. 202. Quint. l. 7. cap. 10.*

Quomodo tractanda est, si oriatur ex ambiguo scripto?

Ista causa tractabitur hunc in modum. Pro *scripto* dicturi. 1, Scriptorem collaudabimus, *Dresf. ibid. pag 205. Quint. lib. 7. cap 7.*

48 bimus, & ipſum ſcriptum clarè recitabimus.
Thom. Tull. Synop. 3. Sect. 10. 2. Explicabimus quid verba ſimpliciter ſignificant, & quomodò perperam ea interpretentur adverſarii. 3. Quam interpretationem nos perſpicuis argumentis refellemus. 4. Et noſtram confirmabimus à juſto, ab utili, à neceſſario, exemplis etiam & teſtimoniis, ſimilibus, ab incommodo, ab inanibus, quæ quærit adverſarius, diverticulis, noviſque interpretationibus. Pro *voluntate* autem *ſcriptoris* ſi dicendum ſit, 1. Scriptorem ſimiliter collaudabimus. 2. Explicabimus ſcriptum ipſum ſimpliciter acceptum aut abſurdum eſſe, aut repugnans legi, conſuetudini, bono, & æquo. 3. Interpretationem adverſariorum refellemus ab abſurdo, impoſſibili, &c. 4. Noſtram confirmabimus ex antecedentibus & conſequentibus, exemplis, eventibus, legibus, teſtimoniis, ſimilibus, & calumniis denique adverſariorum, qui more ſophiſtarum ſcriptum quidem cognoſcunt, tamen veram interpretationem rejiciunt.

Quomodò tractanda eſt Controverſia ex tranſlatione?

Dreſſ. Rhet. ſucc. l. 1. p. 235. Illa oritur cum non directè ad rem reſpondetur, ſed opponitur exceptio aliqua, ut *non debeo coram hoc judice, aut hoc in loco cauſam hanc agere*, ſic verò expedietur. Primùm diſpicere oportet, num aliquis ejus rei actionem, petitionem, aut executionem habeat, cui non convenit: Num quid geratur alio modo, tempore, loco, lege quàm par eſt. *Deindè* præter Circumſtantias

cumſtantias etiam cauſæ utiliter conſiderantur. 49

Quomodò tractanda eſt Controverſia ex Ratiocinatione.

Illa quidem oritur, cum de cauſa propoſita nulla habetur propria lex, ſed quæritur judicium ex rebus ſimilibus ſive cognatis. Quare, hic videre convenit. 1. An alia lege conſtare ſatis de ea poſſit. 2. An in rebus paribus quicquam ſimiliter ſcriptum exſtet. 3. Negotium cum negotio, rem cum re diligenter oportet conferre & ſimilitudinem explicare, obſervando ſc. partes, progreſſus, fines, cauſas, circumſtantias, &c. ex quibus ratiocinationes noſtræ omnes petendæ ſunt. *Dreſs p. 113. Quint. l. 7. cap. 9.*

Poſt Diſſinitivum *veſtræ jam* Juridicialis *ſtatus, in quo qua ratione inſtituam Confirmationem jam velim me doceas.* §. 6.

Iſta quidem parabitur ſecundum duplicem hoc in genere ſtatum Controverſiarum, *Abſolutum* ſc. & *Aſſumptivum*.

Quiſnam eſt ſtatus Abſolutus?

Cum reus ipſam rem, quam ſe feciſſe confitetur, jure factam eſſe dicit, & ſimpliciter defendit, ut, *Milo jure Clodium occidit*, ita enim *M. Cicero* contendit. *Quint. lib. 7. cap. 5. Thom. Tull. Strom. 3. Sect. 9.*

Quomodò tractabitur cauſa in ſtatu abſoluto?

Si cauſa in ſtatu abſoluto offeratur, ut, *An Milo Clodium jure occideris?* hiſce locis jure id factum demonſtrabimus. 1. à Natura (vel jure Naturæ) quæ quidem inſeruit omnibus ſtudium conſervandi ac defendendi ſui; 2. à lege (vel jure ſcripto) quæ permittit

50 mittit vim vi depellere. 3. à Judicato: Majores nostri absolverunt eos qui vim vi necessitate depulerunt. 4. ab Equo & bono; huc referendi sunt loci suasorii. 5. à pacto, permissione, vel comminationibus antecedentibus.

Cedò exemplum?

Dress. Rhet. lib. 1. p. 173

Accommodatior certè formula nulla esse potest, quam illa *M. Ciceronis* in orat. pro Milone, quæ Narrationem ipsam immediatè sequitur. *Hæc sicut exposui, ita gesta sunt, Judices, insidiator superatus, vi victa vis, &c.*

Quisnam est status Assumptivus?

Cum per se defensio infirma est, sed assumpta re extranea comprobatur.

Quot ergò rationibus assumptis potest causa ostendi justa & aliquo modo defendi?

Tribus potissimùm. *Concessione, Translatione, Comparatione.*

Keck. l. 1. Syst. Rhet. spec. c. 16. p. 528. & seq.

Quid est Concessio?

Concessio est, quando reus crimen se commisisse concedit, ast petit sibi ignosci.

Quo potissimùm modo tractabitur causa secundum Concessionem?

Duplici quidem modo, *Purgatione & Deprecatione.*

Quot modis fieri solet Purgatio?

Tribus. Imprudentiâ, cum fatetur reus se fecisse, verùm per imprudentiam. 2. Casu, ὡς ὸ πάτω, *Quidam sagitta avem ferire volebat, haud procul inde sagitta decidit in bovem aut hominem.* 3. Necessitate, v. g. *Lex est apud Rhodios, ut si quæ rostrata navis in portu deprehensa sit, publicetur: magna tempestate navis invitis nautis*

nautis eò appulit. Ne igitur publicetur, purgant se nautæ allegantes necessitatem. 51

Quid est Deprecatio ?

Deprecatio est qua quis simpliciter petit sibi ignosci. *Dress. lib. 2. Rhet. p. 175.*

De Concessione *dixti, quid est* Translatio?

Translatio est, quando nos fecisse concedimus, sed culpam in alios rejicimus, *ut Scipio Nasica fatetur se occidisse T. Gracchum, sed consentiente Senatu.* En, transfertur causa in personas.

Quid est Comparatio ?

Comparatio est cum dicimus necessum fuisse alteram partem eligere, & id quod nos fecimus magis eligendum, ut *Si quis Dux vel Miles, propter opum, armorum, aliarúmque rerum jacturam, pigritiæ nomine accusatus, respondeat, satius fuisse perdere pecunias quàm vitam, tum quidem comparatione se defendere dicitur.*

Cedò jam, si placet, exemplum Confirmationis in statu Juridiciali Assumptivo.

Extat in eadem oratione pro Milone exemplum luculentum prolixum satis, in quo argumenta assumptivi status mirabili prudentia summóque artificio sunt collecta. Principium ita habet. *Nec verò me, judices, Clodianum crimen movet, nec tam sum demens, támque vestri sensus ignarus atque expers, ut nesciam quid de morte Clodii sentiatis, &c.* haud procul à fine, & protrahitur ad conclusionem usque orationis universæ. *Habet exat. pro Ligario exemplum hujus generis apud Dress. lib. 2. Rhet. pag. 527.*

Hactenus fuit Exordium, Narratio, Divisio, §. 7.

52 Confirmatio *in genere Judiciali; restant* Confutatio *&* Conclusio, *quomodo efformabo* Confutationem ?

Confutatio in hoc genere parabitur iis legibus, quæ superiùs sunt expositæ in genere, *cap.* 1. §. 8. Siquidem eadem convenit omnibus generibus confutandi ratio.

Qualis demum esse debet Conclusio ?

Quim. l. 6. c. 1. Conclusiones in orationibus generis Judicialis, quicunque status inciderit, eodem constituentur pacto quo in reliquis generibus, nisi quod conquestio sive commiseratio, itémque indignatio, huic quasi propriæ, frequentissimè usurpentur, *cap.* 1. §. 9.

CAPUT QUARTUM.

§. 1. *Fœliciter, uti spero, absolvimus primam Rhetorices partem nempe* Inventionem, *quænam est Secunda ?*

Vid. Quim. l. 7. c. 1. & seqq. De dispositione in genere Judic. Soar. Rhet. l. 2. c. 10. DIspositio, cujus non abs re magnam curam tenebimus. Sicut enim institutio cohortium & totius exercitus in bello plurimùm facit ad victoriam : ita dispositio partium quoquè in oratione.

Gestit suè mihi animus discere quomodò aptè disponam.

De septem potissimùm rebus in Dispositione oportet eum, qui dictaturus est, esse solicitum.

citum. I^a Cura est magnarum partium, *Exordii*, inquam, *Narrat.* &c. 2. probationum: 3. de diversis argumentationum formulis: 4. de locis communibus: 5. de movendis affectibus: 6. de variatione schematum & Troporum: 7. de verborum electione & collocatione.

Qua ratione disponendæ sunt majores orationis partes?

Usitata ratio illa est quam hactenus ostendimus. 1°. in loco ponatur *Exor.* 2°. *Nar.* 3°. *Divis.* seu propositio. 4°. *Confirmatio.* 5°. *Confutatio.* 6°. *Conclusio.* Ista verò apud oratores non semper obtinet, in quibus quarundam partium est omissio quarundam verò transpositio pro arbitrio oratoris.

Qua ratione disponendæ sunt probationes?

Non potest hæc res præceptis tradi in tanta causarum occurrentium multitudine, in quibus etiam varietas semper maximoperè commendabitur, & studiosè quæri debet. Observatio in scriptis magnorum & usus dicendi erunt optimi præceptores, inveniuntur tamen in genere quædam adnotata secundùm omnes orationis partes. *Thorn. Tull. Strom. 1. Sect. 4. subsect. 5.*

Quænam ista sunt?

In *exordio* solent plerunque quatuor aut quinque sententiæ locum habere; quæ sunt. 1. πρότασις sive propositio Exordii. 2. κατασκευὴ, sive ratio propositionis. 3. ἀπόδοσις sive Conclusio. 4. Ut plurimum (amplificationis gratia) πρόληψις, sive objectionis *Vide Dross. 1. Rhet. p. 81.*

54 cujusdam dilutio. 5. ἀξίωσις petitio ut se de causa dicentem benignè audiant. Uti manifestum est videre apud *M. Ciceronem* pro Archia. In *Narratione* non facilè ab ordine temporum deceditur. In *Confirmatione* constituentur primo loco probationes firmiores, minùs firmæ in medio, sed postremo loco iterum quædam firmiores. In *Confutatione* validiores objectiones semper primo loco diluentur; quod ubi factum fuerit, cæteras licebit contemnere, abjicere, aut etiam irridere. In *Conclusione* præstabit ἀνακεφαλαίωσιν sive brevem quandam probationum repetitionem facere; evitanda semper est prolixitas.

Dress. lib. 1. Rhet. p. 108. Soarez. de Arte Rhet. lib. 2 cap. 15. Thorn. Tull. Strom. 1. Sect. 9.

§. 3. *Qua ratione collocandæ sunt diversæ* argumentationum formulæ?

Vide Keck. l. 1. Syst. Rhet. c. 10. p. 113. & seqq.

In *Exordio* gratiam habent Enthymemata, utpote quæ brevia & plerunque acuta. In *Narratione* ac *Divisione* probationibus minimè opus est. In *Confirmatione* misceri hinc inde omnes argumentationum species debent. *Enthymemata*, *Inductiones* & *Exempla*, *Argumentationes tripartitæ* ex propositione, assumptione & complexione conflatæ: *Argumentationes quadripartitæ*, quæ constant tribus istis propositionibus & illarum alterius probatione; denique *quinquepartitæ*, quando utrique propositioni additur probatio, quòd fusiùs quàm Dialecticus efficiet Orator, imò liberiùs, jucundiùs, & multò ornatiùs. In *Confutatione* non est

Soarez lib. 2. Rhet. c. 17. 18. Vincent. Speculat. doct. l. 4. cap. 109.

nova

nova argumentatio, sed earum argumentationum, quæ ab aliis afferri possunt, dilutio, eáque fit vel sola negatione, vel translatione, vel elevatione, vel digressione, &c. In *Conclusione*, quæ brevis esse debet, si ullæ argumentationes, certè Enthymemata inprimis ponentur.

Qua ratione disponendi sunt loci communes? §. 4.

Loci communes oportunè alicubi, inprimis in *Confirmatione* admiscentur.

Quasnam verò regulas mihi suggeris tractandi locos communes?

Nullæ mihi occurrunt regulæ satis certæ. Exempla magnorum inspicere licebit, unde etiam & tibi ipsi depromas methodum disponendi locos communes. *Cicero pro Archia diu versatur in loco communi de præstantia humanarum literarum, maximè Poëticos. In oratione item pro Roscio Amerino pluscula adfert de Agricultura.* Ad eundem igitur modum prudentèr te oportet dispicere, ubi inserere aliquid ex loco communi expediat.

Vid. Keck. l. 2. Syst. Rhet. c. 10. pag. 185. De Gnomis inserendis. Quint. lib. 8. cap. 5. Thorn. Tull. Storm. 1 Sect. 3. subsect. 4.

Qua ratione movendi sunt affectus? §. 5.

Affectus quidem isti sunt in duplici differentia. *Quidam lenes seu mitiores*, ἤθη, utpote cum conciliatur favor, benevolentia, spes, &c. *Quidam vehementiores*, πάθη dicuntur, ut cum inducuntur auditores ad iram, indignationem, commiserationem, lætitiam, dolorem. Mitiores affectus receptum est movere in *Exordio*; vehementiores appositissimè moventur in *Conclusione*; in Confirmatione verò & *Confutatione* utrique inter-

Kec. l. 1. Syst. Rhet. spec. c. 10 pag. 465. & seqq. & c. 13. ejusdem pag. 490. Dres. l. 1. Rhet. p. 109. Quin. l. 6 c. 2. 3. Vide de Arte Rhet. l. 2. c. ult. & Keck. de Rhet. Ec-

56 seruntur, uti rerum atque argumentorum ratio postulaverit. Ubicunque autem affectus movere placuerit, * oportet priùs in te ipso illi eluceant, quos aliorum animis cupis inducere.

eles. lib. 1. c. 3. p. 14 & seq. De Pathopoeia ex Agricola vide Rhetor. Philippi.

*Ram. lib 1. cap. 15 De ira excitandi & sedanda reliquisque animi affectibus commovendis vide Arist. de Rhet. lib. 2. c. 1, 2. & seqq Thorn. Tull. Strom. 1. Sect. 8. * Vide* Tho. Wright *Anglum de passionib. animi, lib 3. Sect 3. Neque enim fieri potest ut doleat is qui audit, ut oderit, ut invideat, ut pertimescat aliquid ut ad misericordiam flectumque deducatur, nisi omnes ii motus, quos orator adhiberi velit judici, in ipso oratore impressi esse atque insiti videbuntur.* Cicer.

§. 6. *Qua ratione disponenda sunt* Schemata *&* Tropi?

Virtutes Troporum & figurarum, vide apud Alsted. orat. l. 4. c. 16. Soar. lib Rhet. l. c. 29. Illis utere οἰκείως ἐνδόμασι, ἐκ οἰκείων ἐνθυμάτων. Aristot. Rhet. De Dilatatione & Exaggeratione. Vide Keck. lib. 1. Syst. Rhet.

Schemata & Tropos, quisquis orationem parat, inferere debet & admiscere alios quidem hoc loco, alios illo loco, quantum tulerit argumentum. Eadem enim ubique facies orationis non modò non habet gratiam, verumetiam fastidium parit. Præcipua cura sit, quoties res postulat, appositè rem quampiam *amplificare*, hoc est, graviorem, quam sit, efficere, cui amplificationi inserviunt Hyperbole, Incrementum, Commutatio, Exclamatio, Dubitatio, Correctio, Prosopopœia; & *extenuare*, quod opus est contrarium, cui serviunt contrariæ figuræ.

cap. 7. & 8. Dreff. li. 3. Rhet. pag. 838 Quint. lib. 8. cap. 4. Soarez Rhet. l. 1. c. 33. & seqq Anton. Schor. apud Keck. de Eccles. p. 180. Æn. Sylv. præcept. Rhet. 8, 32, 33. & seqq. Conrad. Dieteric. in appendice ad lib. 1. Rhetor.

§. 7. *Quibus denique aut qualibus utendum mihi est* Verbis *in componenda oratiuncula?*

Ter-

Verborum consideratur *Electio & Collocatio*. Quod *electionem* attinet lex una sit; verba evitentur obscura, humilia, dura, inepta, incondita, atq; in eorum locum substituantur illustria, idonea, & generatim quæcunque nitorem orationi & splendorem possunt addere. Quod spectat ad *collocationem*, illa duplex est, *Naturalis una*, quæ censenda est ex significatione, secundùm quam, quod præstantius & dignius præponendum est indigniori; *artificialis altera*, ex sono ipso dictionum pendens: Quæ quia plena est difficultatis, vixq; à magnis viris fæliciter tentata, nihil de ea præcipiemus.

Vide apud B. Clerkum de Aulico, prolixiorem super hac re disputationem, pag. 44. & seqq. v. etiam Sphing. Philos. cap. 10. pag. 648. Kick. lib. 2. Rhet. Syst. cap. 2. pa. 140. Vide Quint. lib. 8. in proœm. item cap. 1 lib. 2. etiam 10 cap. 3. Soarez. lib. 3. de arte Rhet cap. 2. & seqq. & cap. 31. & seqq Alsted. orat. lib 4 cap. 16. Thom. Tull. Strom. 1. Sect. 11. De electione verborum v. Æmam Sylv. Rhet. præcept 10, 12, de ordine verborum præcept. 9. de electione verborum sic præcipit Vincentius. Maximè cavendum est ne profana religiosis, inverecunda castis, levia gravibus, lasciva seriis, ridicula tristibus misceantur. Vinc. Specul. Doctrin. lib. 4 cap. 108.

D 4 CAPUT.

Caput Sextum.

§. 1. *Fuit etiam & altera Rhetorices pars, nempè* Dispositio: *aggrediamur jam σὺν Θεῷ tertiam; Quænam ea est?*

Keck. lib. 2. Rhet. Syst. c. 2. pag. 126. Soarez. lib 3. Rhet. cap. 1.

POst *Inventam* ac satis aptè *dispositam* texturæ orationis materiam, tertio loco elaborandum est in *Elocutione.*

Ut aptè ornatéque eloqui *possim, quot sunt mihi consideranda?*

Duo tantum; ante omnia n. dispicias oportet quo *dicendi genere* uti velis. Deinde ipsi orationi incumbendum est, cáq; exornanda *floscul*is *Rhetoricis.*

Quot sunt dicendi genera?

Vide Keck. l. 1. Syst. Rhet. Spec. 26. & 27. Dress lib 3. Rhet. pag 909.

Tria; *Grave* quod & Asianum & sublime, *Humile* quod & Atticum & tenue, *Mediocre* quod & Rhodium vocant & æquabile.

Quintil. lib. 11. cap. 1. & lib. 12. cap. 10. Soarez. de Arte Rhetorica, l. 3. c. 51. Vide Alsted. orat. l. 5 c. 6 & de puritate, perspicuitate, ornatu & decore (quæ quatuor sunt modi seu potius *partes* virtutes orationis) vide eundem accuratè disputantem, ibi. c. 7. & seqq. vel si magis placet, legatur ipse Sturmius (à quo mutuatus est illa Alstedius) l. 2. de imitat. orat. c. 5. & seqq. & tribus hisce dicendi generibus eodem in lib. c. 8. & seqq.; erit eloquens qui poterit parva submissè, modica temperatè, magna graviter dicere. August. (ex Cicer. orat. ad Brutum pag. 638) lib. 4. de doctr. Chri. cap 17. D. D. Thorn. Tull. Strom. l. Sect. 1. subsect. 11.

Quando adhibetur grave *dicendi genus?*

Quando verba facere oportet in publico con-

conventu, in Senatu, apud Principes, ídque de rebus arduis, veluti de Deo, angelis, republica, religione, &c. Et constat schematum ac verborum gravium accurata compositione.

Quando adhibetur humile *dicendi genus?*

Quando ad plebem, ad familiares, ad discipulos, de rebus domesticis & quotidianis eventis habendus sermo est, atque hoc vix supra quotidianam loquendi consuetudinem assurgit.

Quando adhibetur mediocre *dicendi genus?*

In Philosophicis disputationibus, atq; argumentis Didacticis, item in deliberationibus, & quibusdam causis forensibus minùs videlicet arduis, atquè hoc infra gravem & magnificam orationem demissum, nec non supra humilem nonnihil erectum videtur.

Secundo jam in loco quinam sint isti flosculi quibus exornanda est oratio?

Sunt *Tropi* & *Figuræ* quæ orationi admisceri solent.

Quid est Tropus?

TROPUS, à τρέπω verto, est quo *verbum* à naturali significatione in aliam immutatur. *Keck. lib. 2. Syst. Rhet. cap. 2. pag. 144. & seqq. Dress. lib. 3. Quintil. lib. 8. cap. 6. Soarez. lib. 3. Rhet. cap. 8. Thom. Thal. Strom. 1. Sect. 10.*

Quotuplex est Tropus?

Quadruplex. Μεταωνυμία, Transnominatio, εἰρωνία, Irrisio, μεταφορὰ, Translatio, συνεκδοχὴ, Comprehensio. *Metonymia est tropus Consentaneorum, Ironia dissentaneorum,*

60 *Metaphora est tropus Comparationis. Synecdoche Distributionis.*

Quid est Metonymia?

METONYMIA est nominis pro nomine positio.

Quotuplex est Metonymia?

Quadruplex: quæ duplicem constituere potest divisionem hunc in modum.

Meton. est { 1 { *Causæ* --- { *Efficientis.* / *Materialis.* ; *Effecti.* } } ; 2 { *Subjecti.* ; *Adjuncti.* } }

Soarez. lib. 3. Rhet. cap. 12.

METONYMIA *causæ efficientis* est cum inventor & author pro ipsis effectis rebus usurpantur; ut *Sine* Cerere *&* Baccho *friget* Venus. Virgilius *venum it.* Terentius *emitur. Nondum erat* Spiritus Sanctus, *Joh. 7. Hoc est, dona Spiritus Sancti non ita copiosè collata sunt in Apostolos & Ecclesiam ut postea, Actorum secundo. Habent* Mosen *&* Prophetas, *Luc. 16. hoc est: Mosis scripta & libros Prophetico.* Laborem *manuum tuarum manducabis, Ps. 128. hoc est: Fructus ex labore tuo provenientes. Mollis* lingua *confringit iram, hoc est: Sermo mollis, cujus lingua est causa instrumentalis. Dat* Galenus *opes, dat* Justinianus *honores, id est: Medicina divites facit; Juris prudentia honoratos.* Fides *justificat. Est Metonym. causæ efficientis instrumentalis apprehendentis objectum pro objecto, quamvis fortitan tropus non sit simplex (quales hic traduntur) sed locutio Metaleptica.*

leptica. Christus, qui factus est nobis à Deo justitia, nos propriè *justificat, & ab illius justitia denominamur justi* formaliter, *non ab aliqua justitia nobis* inhærente, *sed à Christi justitia nobis* imputata *dicimur justi; cum vero fides manus animæ sit apprehendens illam Christi justitiam, idcirco fide dicimur justificari* instrumentaliter. *Joh.* 11.40. Gloriam *Dei, id est, opus miraculosum Deitatis meæ.* κάρτερος Ἄρης *apud Dyonys. perieg. ubi* Mars *ponitur pro virtute bellica Lacedæmoniorum.*

METONYMIA *causæ materialis* est, cum illud ex quo res fit ponitur pro re inde conflata; ut, *Cum essent triclinia strata* argentúmque *expositum in ædibus; ubi argentum significat argenteam supellectilem. Sylvestrem tenui Musam meditaris* avena: *hoc est, fistula.* Terra *es, & in terram redibis, Gen.* 3. *ex terra confictus es. Simulacra gentium* aurum *&* argentum, *Psal.* 17. *hoc est, aurea sunt & argentea.*

METONYMIA *effecti* est cum ex effectis efficiens significatur, ut, *Vinum* audax; pallida *mors*; pallentes *habitant morbi* tristisq; *senecta. Spes* dolosi *nummi. Pers. id est, homines facientis dolosos. Duæ* gentes *sunt in utero tuo, Gen.* 25. *hoc est, duarum gentium authores, Esauus & Jacobus. Christus est nostra* salus: *hoc est, salutis author.* Mors *in olla, id est, res mortifera. Præceptum domini* lucidum, *Psal.* 19.

Fuit Metonymia causæ *&* effectus, *quid est Metonymia* subjecti *&* adjuncti?

METONYMIA

METONYMIA *subjecti est cum*

1 Ponitur subjectum pro accidente inhærente, ut, *Magister artis ingeniiq; largitor* venter. *Pers. venter pro fame; subjectum pro accidente separabili. Unusquisque naturaliter in se* Papam *habet. Luther. ubi sanctus vir Papam pro superbia posuit, subjectum pro accidente inseparabili.*

2 Ponitur continens pro re contenta, ut, *Invadunt* urbem *somno vinóq; sepultam: ubi* τὸ [*urbem*] *pro civibus ponitur. Aquila excitat* nidum *ad volandum, Deut. 32. hoc est, pullos suos. Hic* calix *est sanguis, id est, vinum in calice.*

3 Ex possessore res possessa intelligitur, ut, *jam proximus ardet* Ucalegon, *id est, Ucalegonis domus. Apud* me *est, id est, domi meæ, Cic. A* præfecto Synagogæ, *id est, è domo præfecti Synagogæ. Marc. 5. 35.* εἰσῆλθον εἰς τὴν λυδίαν *id est, domum Lydiæ, Act. 16. ult. versu.* πρὸς ἑαυτοὺς, *Angl.* to their own home, *Joh. 20. 10.*

4 Ex re significata signum intelligitur, ut, *Exuo* Monachum, *id est, habitum & cucullum Monachalem. Act. 14. 13.* Jovis *collocati, id est, statuæ Jovis collocatæ ante civitatem. Intuentes imaginem Augustini, Gregorii, alterius cujusvis in tabula depictam dicimus, Hic est* Augustinus, *hic* Gregorius, *hic* pater *meus, cum Augustini, Gregorii, patris mei tantùm sit imago vel repræsentatio. Mat. 13. 38. Ager est* mundus, *hoc est, imago mundi.*

mundi. 1 Cor. 10. 4. *Petra illa erat* Christus, *id est, significavit Christum. Bona opera* justificant, *id est, indicia sunt justificationis. Ut fructus arborem, ita opera verè justum demonstrant. néq; n. sunt bona opera* justitia *illa quâ justificamur coram Deo, sed* fructus justitiæ, *dicente Apostolo.* Phil. 1. 11. *Erit hæc circumcisio* fœdus *meum in carne vestra,* Gen. 17. *hoc est, signum fœderis. Panis est* corpus *Christi, id est, figura, interprete Tertulliano, vel signum corporis Christi, interprete Augustino.*

METONYMIA *adjuncti* est cum ex adjunctis res subjectæ significantur, sic.

1 Nomina virtutum ipsarum pro viris bonis, & vitiorum pro malis usurpantur: itemque accidens pro suo subjecto usurpatum legimus, ut, *Galat. 2. 12. Nos ad* Circumcisionem, *id est, ad circumcisos.* Virtutem *præsentem odimus. Horat. id est, viros bonos. Ego sum opprobrium & abjectio plebis, Psal. 22. 7. id est, abjectus homo. Ex hac enim parte* pudor *pugnat, illinc* petulantia; *hinc* pudicitia, *illinc* stuprum; *hinc* fides, *illinc* fraudatio; *hinc* pietas; *illinc* scelus: *hinc* constantia, *illinc* furor; *hinc* honestas, *illinc* turpitudo, *id est, petulantes, pudici, &c. Cicer. in Catilin. Sic Hesiodus* ὕβριν ἀνέρος *posuit pro* ὑβριστὴν ἀνέρα: *Et Latinis poëtis* scelus *pro scelesto admodum est familiare.*

2 Contentum ponitur pro continente.

Impletæ

Impletæ ſunt nuptiæ. *Matth.* 22. *id eſt, locus nuptiis celebrandis deſtinatus. Et ibunt hi in æternum* Supplicium, *id eſt, in gehennam, locum ſupplicii: juſti autem in* vitam *æternam, id eſt, in cœlum, locum deſtinatum vitæ æternæ. Mat.* 25.46. *Et* complebantur, *Luc.* 8.23. *id eſt, navis quæ illos vehebat complebatur fluctibus. Vide Marc.* 4.37.

3 Poſſeſſio ipſa poſſeſſorem denotat. *Hodie ſalus huic* domui *contingit. Luc.* 19. *hoc eſt, Zacchæo.*

4 Signum pro re ſignata ponitur, ut pubes *pro juventute, ſic, Cedant* arma togæ, *id eſt, bella paci. Non auferetur* Sceptrum *de Judah, Gen.* 49 10. *hoc eſt imperium. Chriſtus eſt noſtrum* Paſcha, *hoc eſt, per agnum paſchalem adumbratus. Accepit* ſignum *circumciſionis. Rom.* 4.11. *h.e. circumciſionem.*

5 Temporis adjunctum pro ſubjectis ponitur, ut; *O* tempora! *O* mores! *pro perditis temporum & malè moratis civibus. Ne configuremini* ſeculo *iſti, Rom.* 12. *hoc eſt, impiis iſtius ſeculi moribus.*

Quid eſt Ironia?

Keck. lib. 2. Syſt. Rhet. c. 3, & c. 8. pag. 177. Soarez. Rhet. l. 3. c. 18.

IRONIA, quaſi ſimulatio vel diſſimulatio, illuſio vel irriſio, eſt Tropus à contrario in contrarium.

Diſtinguendum omninò eſt inter dicta Ironicè, id eſt, Rhetoricè adornata, & putida mendaciorum mendacia. Vide *Rhet. Phil. Rom. l. 1. c. 8. p. 64.*

Quotuplex eſt Ironia?

Duplex,

Duplex, eſt enim vel ex diſſenſione

Duplex, est enim vel ex dissensione *Rei tantum*: est; vel

Παράλειψις præteritio quibusdam dicitur, ut in his formulis; mitto, prætermitto; Mitto *illam primam libidinis injuriam*, mitto *nefarias generi nuptias*, mitto *cupiditate matris expulsum matrimonio filium*, &c. *Cic.* Quid memorem *infandas cædes*, *quid facta tyranni effera? Virgil.* Prætereo *cædes perjuria, furta, rapinas. Tædia fortè darem, si vobis ista referrem.*

Ἀπόφασις, id est, negatio, ut, Non agam *tecum jure summo*, non dicam *quod fortasse obtinerem*, Nec ea dico, *quæ si dicam tamen infirmare non possis. Cic.*

Soarez. lib. 3. Rhet. cap. 30.

Rei & pronunciationis simul, ut, Heus bone vir, curasti probè. *Terent.*

Acutiùs paulò distinguit Augustinus inter Ironiam & Antiphrasin. v. locum l. 2 de doct. Christ ca. 29. Vide Encomium militis Hispani retrogradum p'ani εἰρώνικον, in Sylloge Ænigmatum quam Sphingi Phi'osoph. subtexuit Joan. Texor. pag. 54.

Egregiam vero laudem
& spolia ampla refertis,
Tuq; puérq; tuus,
magnum & memorabile nomen,
Una dolo divûm
si fœmina victa duorum est.

Ascende & prosperè agas: nam tradet Deus Ramoth in manus tuas. 1 *Reg.* 22. Eruat eum, eripiat eum, quoniam placet ei, *Psal.* 22. Clamate magna voce, nam Deus est Baal vester, &c. 1 *Reg.* 18. Libenter sufferris insipientes, cum sitis ipsi sapientes, *nisi fallor Ironia erat & non laus. Bern. de consider. ad Eugen. l. 1. c. 3.*

Quid est Metaphora?

META-

66 METAPHORA, quasi translatio vel traductio, est quando ex simili significatur simile.

Keck. lib. 2. Syst. Rhet. c. 4. Dresserus lib. 3 Rhet. p. 741. Soar. lib. 3. Rhet. c. 9 & 10. ἡ τὸ σαφὲς καὶ τὸ ἡδὺ ἐχεῖ μάλιστα ἡ μεταφορά. Arist. Rhet. lib. 3. cap. 2.

Quotuplex est Metaphora?

Keck. lib 2. Rhet. Syst. cap 8. p. 176. Soarez. lib. 3. Rhet. cap. 21.

Hyperbolica, ex qua oritur mira orationis sublimitas, cum rebus inanimatis actum quendam & animos damus, ut, *Parietes, C. Cæsar, ut mihi videntur hujus curiæ tibi gratias agere* gestiunt, *Cic. Lapis de pariete* clamabit, *& lignum*, &c. *Habac. 2. 11. Viæ Sion* lugent. *Thren. 1. 4.* luxitque *antemurale*, Thren. 2. 8. *Campi gregibus repleti, & valles frumento abundantes* clamabunt, *imò* hymnum dicent. *Psalm. 65. 13. Pontem* indignatus *Araxes* fluvius *Armeniæ pontem ab Alexandro magno constructum dicitur evertisse. Virgil.* Vocat *jam carbasus auras.* *Ecce* vocem *sanguinis fratris tui clamantis ad me de terra.* Genes. 4. 10.

Duplex,

NOT. *Omnis locutio hyperbolica non est Metaphora, sed qualis hîc definitur.* Mundus non caperet libros, *Joh. 21. Locutio hyperbolica significans de factis & dictis Christi materiam copiosissimam. Aretius.* Oportet semper orare, *Luc. 18. est hyperbole. Stella. Ubi plura illiusmodi legere poteris. in Luc. 18. 1.*

Allegorica, quæ quidem illustrissima est in oratione; ut, suspicio *pro admiror*; video *pro intelligo.* Audire *pro obtemperare*; sentire *pro intelligere*; concoquere

pro

pro perferre, 1 Cor. 14. 2. *Nemo* audit, *id est, intelligit. Virtus est una altissimis defixa* radicibus, *quæ nunquam vi* labefactari *potest, nunquam* dimoveri *loco, Cic. Ego sum* Pastor *bonus & meas agnosco* oves *& à meis agnoscor. Joh.* 10. *Ego* plantavi, *Apollo* rigavit, *sed Deus* dedit incrementum. 1 *Cor.* 3. Vineam *ex Ægypto* transtulisti, *&c. Ps.* 80. *Beati qui* esuriunt *&* sitiunt *justitiam ipsi n.* saturabuntur. *Mat.* 5. ταῦτα ἐστι ἀλληγορούμενα. *vide Gal.* 4. 23. *& v. Abdiæ Prophetiam ver.* 18. *v. Ezec.* 17. 24. *Psal.* 91. 4. *& Ecclesiast. cap.* 12. *per totum, cujus enodationem habet apud Sphin. Philosoph. cap.* 38. *cujus ventilabrum,* &c. *Mat.* 3. 12. *electos Israelitas comparat tritico, reprobos paleæ, Christum ventilatori, Evangelium ventilabro, Euangelii prædicationem areæ purgationi, cœlum horreo, cruciatus infernales igni inextinguibili. Pisc. in Scholiis. Quicquid homo* seminaverit *hoc etiam* metet. *Nam qui* seminat *in carne suâ, de carne* metet, *&c. Gal.* 6. 7. *Corax orator* excludat pullos è nido suo, ut evolent corvi clamosi. *Cic.* Excludat, *id est, perfectos reddat,* pullos, *discipulos;* è nido, *schola sua;* ut evolent, *in forum se conferant,* corvi clamosi, *loquaces rabulæ.*

Fuerunt tres priores Tropi, quid est Synechdoche?

SYNECH-

68

Keck l. b 2. Syst Rhet. cap. 3.

Soarez de arte Rhet l 3. cap 11.

SYNECDOCHE est quasi cõprehensio, *estq; vel cum ex*

- *Parte significatur totum: pars autem est vel*
  - *Membrum, unde* Synecdoche membri.
  - *Species, unde* Synecdoche speciei.
- *Toto significatur pars: totum autem est vel*
  - *Integrum, hinc* Synecdoche integri.
  - *Genus, hinc* Synecdoche generis.

SYNECDOCHE *membri* est quando ex membro integrum significatur, ut tectum *pro domo, ridiculum* caput *pro facceto & lepido homine. Qui dat escam omni* carni. *Quicunque* invocaverit *nomen Domini salvus erit, Act. 2. per invocationem significatur universus Dei cultus.* Lex *Dei perfecta est, convertens enimam, Psal. 19. Lex pro toto Dei Verbo. Omnes* animæ *quæ egressæ sunt de fœmore Jacob, id est, omnes homines, Gen. 46. est partis positio pro toto: quamvis forsitan illa dicenda sit potius Metonymia formæ pro formato. Rhetor. Syst. Philippo-Ram. pag. 39.*

SYNECDOCHE *speciei* est quando ex specie significatur genus, ut, *Qui* Curios *simulant &* Bacchanalia *vivunt, ubi* Curios *pro temperatis,* Bacchanalia *pro quolibet intemperantiæ genere ponitur. Iracũdior* Adria. *Hor. Hæc vel* millies *audivi, id est, sæpissimè: In sudore vultus vescêris* pane *tuo, Gen. 3. per* panem *alimentum quodvis intelligitur.* Pax *sit domui huic: per* pacem *omnimoda beatitudo & fœlicitas intellagitur.*

telligitur. *Parta meæ* Veneri *sunt munera. Virg. id est, amasiæ.*

SYNECDOCHE *integri* est quando ex integro significatur membrum; ut *Vides* orbem *terrarum distributis imperiis ardere bello. Cic. ubi* orbis *totus ponitur pro imperio Romano. Sustulerunt* Dominum *meum & nescio ubi posuerunt eum, Joh. 20. hoc est, corpus Domini mei. Exiit decretum à Cæsare Augusto, ut conseretur* totus orbis, *Luc. 2.* Christus *passus est, id est, homo Christus passus est.* Christus *est infinitus & impassibilis, id est, secundùm naturam divinam. Occlusit* me, *id est, uterum meum,* Gen. 16. 2.

SYNECHDOCHE *generis* est, quando ex genere significatur species, ut Virtus *repulsæ nescia sordidæ, id est, fortitudo. Hor. Sic* Poeta, *& Trojani belli scriptor, pro Homero.* Animal pro bestia *dixit* Orator. *Prædicate Evangelium omni* creaturæ, *hoc est, omni homini, Marc. 16.* Omnes *quæ sua sunt quærunt, non quæ Christi, Phil. 2. id est, plerique.* Nullus *est qui agit pœnitentiam.* Nemo *est qui facit bonum,* Jer. 8. *id est, paucissimi. Non est* iniquitas *in manibus meis, Psal. 7. inquit David: quod restringendum est ad causam cum Saule. Jacob fugit & trajecit* flumen, *id est, Euphratem,* Gen. 31. 21. *Erit sicut* arbor, *id est, Palma. Luther. in Psal. 1.*

Hactenus fuit Tropus, quid est Figura? §. 3.

FIGURA est quâ *orationis* habitus à simplici consuetudine immutatur. *Habet Grammatica suas etiam figuras, sed qui illas in Rhetorica tradunt, contra legem κατ' αὐτὸ delinquunt, & distincta artium præcepta confundunt heterogenea homogeneis admiscendo. Dieteric. Rhetor. l. 1. c. 4.*

Keck. lib 2. Syst. Rhet. ca. 11. pag. 196. Quint. lib. 9. cap. 1. & 2. Soar. lib. 3. cap. 23.

Quo-

Quotuplex est Figura?

Duplex { *Dictionis* sive orationis, & *Sententiæ.*

Quid est figura dictionis?

FIGURA ORATIONIS est qua elocutio figuratur dictionibus aptè & jucundè inter sese resonantibus, & consistit in sonorum *dimensione* & *repetitione.*

Quid est figura in dimensione sonorum?

Vide Keck. l. 2. Rhet. Syst. cap. 21. pag. 270. & eundem cap. 20. e, us lib. pag. 238 & seqq. Dress. lib. 3. Rhet. p. 907. Quint lib. 9. cap. 4. Thomi Tull. strom. 1. Sect. 12. Ex Sylv. præcept. Rhetor. 1, 2, 3, & 4.

Nihil certè est aliud quam *numerus oratorius. Nam de numero poëtico (qui in Rhythmum dividitur & metrum) nullus nobis erit hic sermo: cum de Syllabarum quantitate ex lege καθ' ἑαυτὸ agendum sit in Grammatica. Quare ut genus dicendi* Didascalicon *Dresseri ad Logicam, ita hic numerum* poëticum *Talæi ad Grammaticam relegabimus; de quo tamen si cui mens sit utilia nonnulla præcepta legere, consulat ille Syst. Rhetor. Philip-Ramæum Cap. 14. & sequent. lib. 1. nec non Carol. Butlerum (qui hac ex parte palmam aliis præripuisse videtur) lib. 1. Rhet. cap. 13. & 14. Quo quidem in loco recenset ille poëtas quosdam, quorum & numeros & laudavere sales nostri, & de quibus forsitan non immeritò Angliæ nostra gloriatur, Galfridum* Chaucerum, *Edmundum* Spencerum, *Michaelem* Draytonium, *& Georgium* Withersium. *Istis annumerandos censeo, celebrem illum poetam qui à quassatione & hasta nomen habet, Joan.* Davisium, *& cognominem meum, poetam pium & doctum Joan.* Vicarsium. *Ex quibus ego (neque enim affectum possum dissimulare) plurimum semper sum delectatus Draytonio. Cujus libellum Heroic. Epistolarum ad imitationem Ovidii conscriptum, cum*

ego

ego ante multos jam annos perlegissem, tales mihi assumpsi spiritus, ut Poeta repente prodirem, versusq; istos, quos nunc subjicio, in laudem authoris protinus effutirem.

Ad Mich. Drayton.

DRayton, I must confesse thy wit's divine,
Thy Labours well deserve a golden Shrine:
It is not vulgar what thy Muse endites,
It is immortall what thy Pen once writes.
Happy fair *Albion*, thou that such a Wit
Hast bred, to keep thee from Oblivions pit.

In eundem.

BLinde *Grecian Minstrell*, and *Æneas Clerk*, (bark,
That fraught'st thy Ship with spoil of wandring
Italian Petrarch, and thou *Belgian Noort*,
Give up your [a] Crowns, your Laurels, of what sort
So e're they be: for *England* now doth claim
In *Draytons* right the * Regall Poets Name.

[a] *hendiades.*

* *Homerus Rex Poetarum dicitur Græcorum, Virgil. Latinorum, Petrarcha Italorum, & Noort Belgarum.*

De hoc Poeta sic me lusisse aliquando memini. Neq; planè abibit sine laude Georg. Withers, de quo in sexta Epigrammatum nostrorum Decade hoc habetur ogdoastichon qualecunque.

Ad G. W.

VWHo is a Poet? He that loves to fain.
Thy *Poeme* is most sacred, tho't be plain,

And

72 And yet thy ſelf no *Poet*; all's ſo true.
He's *juſt*, no *Poet*, that gives each his due.
I *flatter* not, nor *fear* thy ſcourging ſtrain,
Ile cry as faſt as thou, the World's but vain.
Abuſes thou haſt *ſtript* and *whipt*, with art
Caſt ſalt and pickle on to make it ſmart.

Sed ut quò digreſſi ſumus, eò revertamur; Nihil aliud (inquit Fabius) *poteſt facere ſermonem numeroſum, quam oportuna ordinis mutatio. Hunc* M. Cicero *diligenter obſervavit, huncque numerum adhibere neceſſe eſt, ſi ornatè velis dicere, & ut multò majorem vim habeat oratio. Primum ad Dactyli, Anapæſti & Spondæi pedem invitat* Ariſtoteles, *in quo impunè progredi licet duos duntaxat pedes aut paulò plus, ne planè in verſum aut ſimilitudinem verſuum incidamus. Probatur etiam ab eodem Pæan qui duplex eſt, vel-vuv ut incipite, comprimite, vel-vuv-ut, domuerant, ſonipedes; ab illo ordiri, hoc verò finire iſti Philoſopho placet. Æneas* Sylvius *verbo monet claudere ſententiam Rhetor. præcept. 24. & ſi illud verbum longum fuerit, aut plurimum reſonans, concinniorem profectò, ſi in fine orationis terminatur, quàm ſi in media aut alia orationis ipſius parte collocetur, ſonoritatem præſtabit. Vide exempla luculentiſſima ibid. pag. 1002. & ſeqq. Neque verò hæc tam acrem curam diligentiámque deſiderant, quam eſt illa Poetarum, quos neceſſitas cogit & ipſi numeri ac modi, ſic verba verſu includere, ut nihil ſit, ne ſpatium quidem minimo brevius aut longius, quàm neceſſe eſt,* Tull. *de orat. lib. 3. At in dicendo numeroſum putatur, non quod totum conſtat*

Soar de Rhet. lib 3. c. 35, 36. & ſeqq. ſatis multa.

ſtat ex numeris, ſed quod ad numeros proximè accedit, hinc fit ut quod numeroſum in oratione dicitur, non ſemper numero fiat: ſed nonnunquam ex concinnitate aut conſtructione verborum; ut idem in oratore ad Brutum diſertè ſatis loquitur. Caput omnium præceptorum illud viſum eſt, ut rebus de quibus dicendum eſt ars quidem numeris ſerviat, & non res arti: à qua ratione qui diſcedit, omnis ſanè elocutionis dignitatem perturbabit. Æn. Sylv. Rhetor. præcept. 48. *Ex Neotericis mea quidem ſententia, (ſi qua ſit)* Barth. Clerkus *noſtrâs fœliciſſimè hunc orationis lcporem, hanc in dicendo concinnitatem attigiſſe videtur. Inter Theologos verò docti quidam in ea ſunt opinione ut exiſtiment* Calvini Inſtitutionem *ſumma arte & ad modos etiam Rhetoricos compoſitam, dignam eſſe quæ ab omnibus lcgatur, cùm ob rerum copiam, tùm ob phraſeos elegantiam. Ita ut de iſto libro olim rectè quidam cecinisſe videatur,*

Præter Apoſtolicas poſt Chriſti tempora chartas,
Huic pepercêrc librum ſæcula nulla parem.

Si ille non occurrat, vel ubertate forſan & ſtyli ſoliditate te deterreat à lectione, ſume tibi in manus Jewelli Apologiam *pro fide quam Eccleſia Anglicana docet & tuetur conſcriptam, quo libello pii & cordati hominis induſtria elaborato neſcio an hæc ætas elegantiorem procuderit & magis politum.* Rationes Campiani *ſordebunt ſi ad* Jewelli Apologiam *conferantur, huncq; nervosè habitu modeſto incedentem differere, illum verò juveniliter habitu meretricio indutum laſcivire planè conſtabit. Libellus, cui titulus eſt* Deus & Rex, *quemcunque habeat authorem, certè*

74 certè phrasin habet puram, elegantem, & (ut uno verbo complectar omnia) Latinam. Qua de causa istum dialogum studiosis summoperè non possum non commendare.

Figura in repetitione sonorum quotuplex?

Illud patet ex hoc diagrammate.



Quid est Epizeuxis & Anadiplosis.

Keck lib 2. Syst. Rhet. c.19.p.243. Thorn. Tull. Strom 1. sect. 13 subsect.2. & seqq.

EPIZEUXIS est quando idem sonus continuè iteratur in eadem sententia: ut, Ilion Ilion *fatalis incestúsq; Judex vertit in pulverem, Horat. Ipsa sonant arbusta* Deus Deus *ille Menalca. Virgil. Fili Absolon*, fili mi, fili mi *Absolon*, 2 *Sam.* 18. Jerusalem, Jerusalem, *quæ occidis Prophetas. Luc.* 13. *Reges exercituum* fugient fugient, *Psal.* 68. 13. Recedite, recedite, *Thren. cap.* 4. *vers.* 15. *v. Ezech.* 21. 9. & *vers.* 27. *ejusdem c. Esa.* 51. 9. 12. 17. *Joel.* 3. 14. Cœli cœli *Domino*, *Psal.* 115. 16. *Esa.* 48. 11.

Psal.

Psal. 22.1. *Luc.* 22.31. Simon, Simon, *singularem animi affectum ac benevolentiam notat, qu. dic. mi charissime Timon. Piscat. in Schol.*

ANADIPLOSIS est quando idem sonus repetitur in fine præcedentis & principio subsequentis sententiæ, ut,

— *Vos hæc facietis maxima* Gallo,
Gallo *cujus amor*, &c. *Virg.*

Quæ res igitur tantum istum furorem S. Roscia objecit? Patri *inquit*, Non placebat. Patri non placebat? *quam ob causam?* &c. *Cicer. pro Rosc. Amerin.* τίνι εἰσιν ὅμοιοι; ὅμοιοι εἰσι, *&c. Luc.* 7.31, 32.

— ἀποτέμνεται ἄνδιχα ῥώμην,
ῥώμην τιμήεσσαν ἐμῶν μέγαν οἶκον ἀνάκτων.

Dionys. Perieget. qua figura maximè delectatus est iste Poeta. Stabunt pedes nostri in atriis tuis Jerusalem, Jerusalem *quæ ædificaris ut civitas*, &c. *Psal.* 122.

Hæc si pluribus continuata fuerit gradibus dicitur *Climax*, ut, *Nam quæ reliqua spes libertatis manet, si illis & quod libet*, licet, *& quod* licet, possunt, *& quod* possunt, audent, *& quod* audent, faciunt, *& quod* faciunt *nobis molestum non est. Author. ad Heren. Quos præscivit, hos* prædestinavit, *quos autem* prædestinavit, *hos & vocavit, quos* vocavit *hos* &c. *Rom.* 8.30. *Kec. l. 2. Syst. Rhet. c. 14. p. 210. Soar. l. 3. Rhe. cap. 26.*

Fuit Figura in Repetitione similis soni continuè, sequitur Figura in repetitione similis soni disjunctè tum loco eodem tum diverso, Quid est ergo Anaphora, Epistrophe, &c. *Kec. l. 1. Syst. Rhet. c. 19. p. 246. Soarez, l. 3. Rhet. c. 26.*

ANAPHORA, seu relatio, est quando idem sonus iteratur in principiis sententiarum, ut, Nihil *nè nocturnum præsidium palatii*,

76 nihil *urbis vigiliæ*, nihil *timor populi*, &c. *Cic.* Pan *primus calamos cera conjungere fecit*, Pan *curat oves, ovíumque magistros. Virgil.* Te *Deus alme colam*, te *toto pectore amabo. Psal.* 18. *Sustinetis* si quis *devorat*, si quis *accipit*, &c. 2 *Cor.* 11. 20. Et collidam in te *equum & equitem ejus*, & collidam in te *currum & ascensorem ejus* & collidam, &c. *Jerm.* 51. 21, 22, 23. *Ps.* 148. 1, 2, &c. *Psal.* 150. 1. & *seqq. Ps.* 29. 3. & *seqq. Rom.* 2. 21. Negotiatores tui *Ezec.* 27. 12, 13, 15, 16, &c. Gladius *super Chaldæos*, gladius *super divinatores*, gladius *super fortes*, gladius *super equos*, &c. *Jerem.* 50. 35. *vid Amos* 1. 3, 6, 9, &c. διὰ τοῦτον [πλοῦτον] φόνοι καὶ λῃστεῖαι, καὶ πόλεμοι. διὰ τοῦτον ἔχθραι, καὶ μάχαι καὶ συκοφαντίαι. διὰ τοῦτον αἱ πόλεις μόνον, ἀλλὰ &c. *Peluſiot. l.* 2. *Ep.* 146. *v. Phil.* 4. 8.

Soar. l. 3. *Rhe. cap.* 22.

EPISTROPHE, ſeu converſio, eſt quando ſimilis ſonus in clauſulis iteratur, ut, *Doletis tres exercitus populi Romani eſſe interfectos? interfecit* Antonius. *Deſideratis clariſſimos viros? eos quoque eripuit* Antonius. *Authoritas hujus ordinis afflicta eſt? afflixit* Antonius. *Cic. Cum Patribus noſtris peccavimus, injuſtè omnes egimus, iniquitatem fecimus. Hebræi ſunt? & ego. Iſraelitæ ſunt? & ego, &c.* 2 *Cor.* 11. 22. *Obadiah ver.* 12, 13, 14. Numquid terram hæreditate poſſidebitis? *Ezech. cap.* 33. *v.* 25, 26. *vid. Joel* 2. 26, 27. *Amos* 4. 6, 8, 9, 10, 11. *Haggæi* 2. 8, 9, 10. *Pſal.* 136. *per totum*, quoniam in ſeculum miſericordia ejus. *Inſpice vulnera Chriſti in cruce pendentis, ſanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices reſurgentis. Caput habet inclinatum ad oſculandum,*

cor

cor apertum ad diligendum, manus extensas ad amplectendum, totum corpus expositum ad redimendum. Augustin. Solus Christus est qui condidit hominem, *redemit* hominem, *patri reconciliavit* hominem, *hominis causa induit* hominem, *solus beat* hominem. *Erasm.*

SYMPLOCE, seu Complexio (Quæ ex *Anaphora* fit & *Epistrophe*) est cum idem sonus in principiis & clausulis iteratur, ut, Spem *improbis ostendistis, timorem bonis injecistis, fidem de foro sustulistis. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, 2 Tim.* 4. Quomodo *invocabunt eum in quem non crediderunt?* quomodo *credent ei, quem non audiverunt? Rom.* 10. Domus *Israel benedicite* Domino; domus *Aaron benedicite* Domino; domus *Levi benedicite* Domino, *Psal.* 135. 19. *Psal.* 118. 2, 3, 4. *item* 10, 11, 12. *Quando ignorabam, me instruxit: quando errabam, me reduxit: quando peccabam, me correxit: quando cecidi, me erexit: quando ivi, me duxit: quando steti, me tenuit. Bern.*

EPANALEPSIS, seu resumptio, est quando idem sonus in principio sententiæ & clausula ejusdem repetitur, ut, Multi *& graves dolores inventi, parentibus & propinquis* multi. *Cicero.* Phosphore redde diem, *quid gaudia nostra moraris? Cæsare venturo,* Phosphore redde diem, *Martial.* Omnia enim vestra sunt, *sive Paulus, &c. 1 Cor.* 3. 22. *Quod si opertum est Evangelium nostrum, in iis qui pereunt est* opertum, *2 Cor.* 4. 3. *Phil.* 4. 4. *Rom.* 15. 4. *Quæcunque antè* scripta *sunt, in nostram doctrinam* scripta *sunt. 1 Cor.* 14. 15. Orabo

Keck. lib. 2. Syst. Rhet. c. 10. p. 249. Soar. l. 3. Rhe. cap. 16.

78 *ſpiritu ſed & mente* orabo : pſallam *ſpiritu ſed & mente* pſallam.

Cretes *erunt teſtes, nec fingunt omnia* Cretes. *Ovid.*

Dona benigne Pater *quæ jam largiris, in uſum*
Sanctifica noſtrum, dona benigne Pater.

Tu decus omne tuis *qui ſternis cæde Goliam,*
Qui vincis mortem tu decus omne tuis.

Vita beata necem *miſeris avertere venit,*
Pertulit à miſeris vita beata necem. *Sedul.*

EPANADOS, ſeu regreſſio, eſt quando ſonus idem in principio & medio, vel in medio & fine iteratur, ut, *Gratiam qui* refert, habet, *& qui* habet *in eo quod* habet, refert. *Cic. Quod autem nunc* vivo *in carne, in fide* vivo *filii Dei qui dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me, Gal. 2. Qui* ex Deo *eſt verba Dei* audit, *propterea vos non* auditis, *quia ex* Deo *non eſtis, Joh. 8. Nam & ego quod* donavi, *ſi quid* donavi, *&c. 2 Cor. 2. 10.* Pſallite *Deo noſtro* pſallite, pſallite *Regi noſtro*, pſallite, *Pſal. 147. vid. Ezech. 32. 16.* plangent. *Non enim quod* volo, facio *bonum, ſed quod non* volo *malum, hoc* facio. *Rom. 7. 19.*

Qui menſa hac nobis Deus ipſe frui *dedit,* ipſe
Det Deus *æterna poſſe ſalute* frui.

Fuit Figura in repetitione ſimilis ſoni, ſequitur Figura in repetitione ſoni leviter diſſimilis tam diverſæ, tum ejuſdem originis, Quid eſt ergo Paranomaſia, & Polyptoton?

Keck. lib. 2. Syſt. Rhet. c. 19. p. 254. Soar. de art. Rhe. l. 3. c. 28.

PARANOMASIA ſive adnominatio eſt cum dictio, literæ aut ſyllabæ alicujus commutatione,

mutatione, significatione quoque commutatur, ut, *Ut non* emissus *ex urbe, sed* immissus *in urbem esse videatur.*

Litigat & podagra
Diodorus (Flacce) laborat,
Sed nil Patrono
porrigit, hæc chiragra *est. Mart.*

Hinc illud est quod de Catone circumfertur, qui cum cuidam dixisset, Eamus deambulatum, & ille respondisset, Quid opus est de? *Imò verò (inquit Cato) Quid opus est* te? *σὺ εἶ πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ. Mat.* 16.18. *λίμοι καὶ λοίμοι, Mat.* 24.7. *ghnani ani, Psal.* 25.16. חרב חרב *gladius & siccitas, mutato puncto est Paranomasia. Calvin in Jer.* 50.38. Bethel *fiet* Bethaven, *Amos* 5.5. *παθήματα μαθήματα, Herod.* Ἐις κορακὰς ἢ ἐις κόλακας ἐμπεσεῖν κρείττον ἐστὶ. *Antiph.* Ex *hac vita migrantes non* amisimus *sed* præmisimus. *August.* Abiit *non* Obiit *veteranus Jesu. Cyprian.* Dominus Thomas *Bodly*, rectiùs appelletur Dominus Thomas *Godly*, inquit serenissimus rex Jacobus pietatem hominis & munificentiam in Academiæ Oxoniensis bibliothecam deprædicans. Curia curarum *genitrix nutrixque malorum.* Dispice *verum*, conspice *Christum lumine mentis*, suspice *cœlum*, despice *mundum*, respice *finem. Pii in morte per* angusta *ad* augusta *penetrant, & morte non tam* consumuntur *quam* consummantur. *& mortem non tam* funus *quam* fœnus *esse ducunt; quos cum mors* rodit, *ipsorum cor* ridet, *&* lœti letum *vincunt. Isti nimirum sunt, qui non tam* moriuntur *quam* oriuntur, *apud quos est* fœdus *&* fides *Dei. O mortem be-*

80 *atam, quæ vitam non* aufert, *sed* transfert *in melius. Sphin. Philos. p.* 740. *de Hercule.*

Lenam *non potuit, potuit superare* leænam:
Quem fera *non potuit vincere, vicit* hera.
de Roma.

Audisti quondam divini oracula παύλου,
At nunc τῶν φαύλων *jussa nefanda facis.*
Major inest illis nummi *quam* numinis *ardor*
Divini, & nummos numinis *instar amant.*
Nec tu τὸν χριστὸν, *Clere,* τὸ χρηστὸν *amas.*

Huc referunt quidam PAROEMION, *quale est hoc; non* Potui Planè Plura Paucis Proloqui. *Plaut. & illud,* Petrus Paganus, Poeseos Professor Publicus, Propter Pocula Pergere Prohibetur. *& illud;* Pugna Porcorum Per Petrum Portium Poetam. *& illud;*

Torquemur, trahimur, toleramus tetra, tacemus;
Tanta tamen tandem tollet tortura triumphum.

Sed nulla est in vocibus agnominatio. Dieter. lib. 1. *cap.* 23.

POLYPTOTON seu casuum varietas, est cum ejusdem originis variis casibus voces inter se consonant, ut, *Certus locus, certa lex, certum tribunal, quo hoc reservetur. Cicero. Non ut* edam vivo, *sed ut* vivam edo. *Quint.* Qui *solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem,* quem *nullus hominum vidit, nec videre potest,* cui *honor & imperium in sempiternum,* 1 *Tim.* 6. ἔγνω, ἔγνων, ἔγνωσαν *Joh.* 17. 25. οὐ ζητῶ τὰ ὑμῶν ἀλλὰ ὑμᾶς. 2 *Cor.* 12. 14. ὁ σπείρων, τοῦ σπείραι, τὸν σπόρον. *Luc.* 8. 5.

Anglica *veridicos* dicunt *proverbia* stultos;

Ergo

Ergo Anglis *verum* dicere, ſtultitia *eſt*. *Owen.*

Qui timetis Dominum, *benedicite* Domino; *benedictus* Dominus *ex Sion*, *Pſ.* 135. 20. Res *cum* re, cauſa *cum* cauſa, ratio *cum* ratione *pugnabit*, *Cic. pro Cæl.* Infirmorum infirmitas *donec* firmi *efficiantur ſuſtinenda eſt non deſperanda*, Auguſtin.

Ruſtica gens eſt optima fleus, & peſſima gaudens,

Ungentem pungit, pungentem *ruſticus* ungit.

Aurea *ſunt verè nunc ſecula; plurimus* auro *Venit honos* —— *Ovid.*

Reperitur autem hîc aliquando *Climax, ut apud Virgilium.*

Torva lœna lupum *ſequitur*, lupus *ipſe* capellam,

Florentem Cythiſum ſequitur laſciva capella.

Perge pati *patiens*, patiendo *palma paratur.*

—— *parit ira* furorem,

Turpia verba furor, verbis *ex* turpibus *exit* Rixa, *ex* hac *oritur* vulnus, *de* vulnere *letum.*

Rom. 5. 2. *& ſeq. Affliction* patientiam, patientia *probationem*, *&c.* 1 *Cor.* 11. 3. *Vos verò in hoc omni ſtudio incumbentes adjicite cum fide veſtra* virtutem, *& cum* virtute ſcientiam, *& cum* ſcientia temperantiam, *& cum* temperantia tolerantiam, *& cum* tolerantia pietatem, *& cum* pietate animum in fratres propenſum, *& cum* animo in fratres propenſo *charitatem*, 2 *Pet.* 1.

Hactenus fuit Figura *dictionis, quid eſt figura ſententiæ?*

82 FIGURA SENTENTIAE est quæ totam sententiam aliquo animi motu afficit: estq; vel in *logismo*, vel in *dialogismo*.

Quid est Figura sententiæ in Logismo?

Figura sententiæ in *logismo* vel ratiocinatione est quando sine colloquutione sententia figuratur.

Quotuplex est?

Quadruplex: *Ecphonesis, Revocatio sui ipsius, Apostrophe, Prosopopœia.*

Quid est Ecphonesis?

ECPHONESIS, Exclamatio, est per adverbium exclamandi expressum vel intellectum.

Quot modis fieri solet Exclamatio?

Ista figura magnum prorsus est animi commovendi instrumentum, & quidem affectuum diversorum; fieri autem solet vel

Keck. lib 2. Rhet. Syst. c. 17. p. 235. Soarez. lib. 3. Rhet. ca. c. 30. Thorn. Tull. strom. 1. Sect. 24. Subsect. 13. & seqq.

Per modum

Admirationis, Oh clementiam admirabilem! O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus! *Rom.* 11.

Desperationis, O frustra mei suscepti labores! O spes fallaces! O cogitationes inanes!

Optationis, O utinam tunc cum Lacedæmona classe petebat, obrutus insanis esset adulter aquis! O utinam cœlos rumperet & descenderet!

Indignationis, O scelus! O pestis! O labes!

Irrisionis, O stultos Camillos, Curios, Collatinos!

Deprecationis, & imprecationis, ut Dii te perdant

perdant fugitive! Obscurentur oculi eorum, *&c.* Psal. 68. 24. 83

Objurgationis, O dementes Galatæ, quis vos fascinavit? *Gal.* 3. O Incircumcisi auribus & corde, *Act.* 7. 53.

Quid est Revocatio sui ipsius?

Revocatio sui ipsius est ardoris proximi in exclamatione veluti refrigeratio.

Quotuplex est?

Duplex, { *Epanorthosis.* / *Aposiopesis.*

EPANORTHOSIS sive correctio est quando revocatur quidpiam antecedens, ut, *Filium unicum adolescentulum habeo*, ah quid dixi, me habere? imo habui *&c. Terent. Vivo ego*, sed non amplius ego, vivit verò in me Christus, *Gal.* 2. *Suscitabit Jehova Rezem* &c. Quid autem? etiam nunc, 1 *Reg.* 14. 14. *quidic. Quid dico suscitabit? etiam jam constitutus est & in regno versatur, Junius. v.* 1 *Cor.* 15. 10. *Keck. l.* 2. *Syst Rhet. c.* 15. *p.* 216. *Soar. Rhe l.* 3. *c.* 27. & 30.

APOSIOPESIS seu reticentia est, qua sententiæ inchoatæ cursus ita revocatur, ut indepars aliqua deinceps non dicta intelligatur, ut

Jam Cœlum terramq; meo sine numine venti
Miscêre, & tantas audetis tollere moles?
Quos ego, sed præstat motos cõponere fluctus.

Quibus ego juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam, *Heb.* 3. Et tu Domine usque quò? *Psal.* 6. 4. *plena affectus reticentia, Bucer. Quia si cognovisses*, & tu, & quidem *v. Luc.* 19. 42. Veritatem dicam *sed supersedeo*, 2 *Cor.* 12. 6. Pater, si vis transferre poculum hoc à me: *veruntamen non mea voluntas* &c.

84 *Luc.22.42. subaudiendum transfer. Aposiopesis exprimens πόθ & optantis; Piscat.*

Quid est Apostrophe?

Ker.2.l. Syst. Rhet.c.16.p. 224. Soar.l.3. cap.30.

APOSTROPHE sive Aversio est quando oratio ab una persona in aliam convertitur.

Quot modis fieri solet Apostrophe?

Diversimodè fieri solet.

Aliquando enim

Ad humanam personam fit aversio, *ut, cum Anchises narrat Æneæ, quæ futura sit posteritas nepotum, Ænead.6. ubi alloquutus Æneam interserit.*

Quis te magne Cato tacitum aut te Cosse relinquat?

Fabritium, vel te sulco Serrane serentem? *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram, *Psal.2.10.*

Ab hominibus ad Deum, sic Ovid. institutum suum in libris Metamorph. explicans, statim subjungit.

Dii cœptis (nam vos mutastis & illas)

Aspirate meis, *&c. Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum,* Tu autem Jehova Domine fac mecum, *&c. Psal.109.22.*

Ad rem mutam & inanimatam veluti ad Personam transfertur oratio, ut, *Religiones ipsæ aræq; cum illam belluam cadere viderunt, commovisse se videntur, & jus in illo suum retinuisse.* Vos enim Albani tumuli atq; luci, vos inquam imploro & obtestor, vósq; Albanorum

rum obrutæ aræ, &c. *Cicer.* Audite Cœli & auribus percipe terra, *Esai.* 1.2. Quid tibi mare, quod fugisti? & tu Jordanis qd cõversus es retrorsum? montes quòd exultastis sicut arietes, & colles sicut agni ovium? *Psal.* 114.

Quid est Prosopopœia?

PROSOPOPOEIA sive fictio personæ est qua velut alienam personam oratione nostra loquentem fingimus. *Keck. lib. 2. Rhet. Syst. c. 15. pag. 220.*

Quotuplex est?

Duplex. { *Imperfecta.* / *Perfecta.*

Imperfecta est cum sermo alienæ personæ leviter & obliquè repræsentatur, ut, Hi vos (*quoniam liberè loqui non licet*) tacitè rogant, *ut se quoq; sicut cæterarum provinciarum socios dignos existimetis*, &c. *Cic. Quoniam quidem epistolæ* (inquiunt) *graves sunt & fortes*, 2 *Cor.* 10.10.

Perfecta est, cum tota fictio personæ oratione nostra plenè repræsentatur. *Quo in genere & accessus ad prosopopœiam & recessus inprimis decorus esse debet, sic pro Cælio excitatur Appius cæcus ad objurgandam Clodiæ libidinem. Existat igitur (inquit orator) ex hac familia aliquis ac potissimùm cæcus ille, sic aget & sic loquetur*, Mulier, quid tibi cum Cælio? quid cum homine adolescentulo? *Et Salomon mulierem ornatu meretricio sic loquentem introducit:* Victimas pro salute devovi, hodiè reddidi vota mea, &c. *Prov. cap. 7. & Sapiens damnatos dicentes intra se*, Hi sunt quos &c. *Sapient. 5. 3. v. Judic. 9. vers. 7. seqq. Matth. 6. 31.* Quid edemus?

86 edemus? aut quid bibemus? *&c. Prosopopœia continens exclamationes seu interrogationes patheticas notantes affectum sollicitudinis. Piscat. in Scholiis.*

Fuit figura in logismo, quid est figura in Dialogismo?

Figura in *dialogismo* est cum sententia figuratur in collocutione, quæ consistit in Interrogatione & Responsione.

Sonn. lib. 3. Rhet. cap. 30.

Quot modis figuratur Interrogatio?

Interrogatio figuratur
- Deliberatione, ea vero
  - Addubitatione, &
  - Communicatione.
- Occupatione quæ est, aliàs
  - Obliqua.
  - Perfecta.

ADDUBITATIO seu ἀπορία est deliberatio nobiscum, ut, *Equidem quod ad me attinet, quò me vertam nescio:* negem illam fuisse infamiam corrupti judicii? *An verò vivere in carne mihi operæ pretium sit, &* quid elegam ignoro, *Phil. 1. Luc. 16. 3.*

Keck. lib. 2. Syst. Rhet. cap. 36. pag. 226.

COMMUNICATIO, quæ dicitur ἀνακοίνωσις, est deliberatio cum aliis, ut *Cicer. pro Quint. Quid denique?* quid censetis? *Cedò si vos in eo loco essetis, quid aliud fecissetis?* Quid vultis? *in virga veniam ad vos an in charitate & spiritu mansuetudinis?* 1 Cor. 4. Vos ipsi judicate *an justum sit, &c.* Act. 4. 19. Matth. 6. 25. Nónne anima plus est quam alimentum? *qu. dic. Omninò. Communicatio rhetorica, innuens testimonium consensus atq; confessionis ejus qui interrogatur. Piscat. in Scholiis.*

Occu-

OCCUPATIO est cum alieni consilii interrogationem occupamus, eique respondemus. Græcè dicitur προλημψις, quæ habet ferè Prosopopœiam conjunctam, ideóq; aliàs *obliqua* est aliàs *perfecta*. *Keck. lib 2. Syst. Rhet. c. 34. p. 205.*

Obliqua est quæ imperfectam solummodò Prosopopœiam adjunctam habet, *ut Cic. pro Amer: Credo ego vos Judices mirari quid sit quod cum tot summi,* &c. *Tandem responsio subjungitur. Quæ me igitur res præter cæteros impulit, ut causam S. Roscii reciperem?* Quia si quis istorum dixisset quos videtis adesse, multo plura dixisse, quam dixisset, putaretur: *& ego si omnia liberè dixero nequaquam tamen oratio mea in vulgus emanare poterit.* Quid tibi videtur Simon? *Reges terræ, à quibus accipiunt tributum?* &c. *Matth. 17. 25. in textu dicitur quod servator usus sit prolepsi Petrum præveniens.*

Perfecta est quæ plenam habet Prosopopœiam, ut *Cic. pro Cæl.* Dicit aliquis, *hæc igitur est tua disciplina?* &c. *Sic pro Quint. De re pecuniaria cupis contendere:* non licet. *At ea est controversia,* nihil ad me attinet, *&c. Sed* dicet aliquis *quomodò resurgunt mortui? quali autem corpore,* &c. *1 Cor. 15. Utique* dicetis mihi hanc similitudinem, *Medice cura* &c. *Luc. 4. 23.* Sed dices, *rami illi fracti sunt ut ego,* &c. *Rom. 10.*

Quot modis figuratur Responsio?

Duobus, { *Permissione.* / *Concessione.*

PERMISSIO ἐπίτρεψις est cum facti cujuspiam licentia cõdonatur, ut *Virg. Æ n. 4.* *Soarez. lib. 3. Rhet. cap. 30.*

— *Neq; teneo, neq; dicta refello*
I, sequere Italiã ventis, *pete regna per undas.*

Lætare

88 Lætare ergo juvenis in adolescentia tua, & *in bono sit cor tuum in diebus juventutis*, &c. *Eccles.* 11.9. Complete mensuram patrum. *Mat.* 23.32. *Sunt verba permittentis cum significatione desperatæ atq; incorrigibilis illorum malitiæ. Piscat.*

CONCESSIO συγχώρησις est, cum dictum aliquod aut argumentum condonatur; ut, sit sacrilegus, sit fur, sit flagitiorum omniùmq; vitiorum princeps; *at est bonus imperator, Cic. Act. in Ver.* 7. Confiteor autem hoc tibi *quòd secundum sectam quam dicunt hæresin, sic deservio patrio Deo meo*, &c. Act. 24.14.

Delectat hoc ornamentum in oratione præcipuè, cum id concedimus, quod ei, cui conceditur, nocet, ut sæpè fit in contentionibus & controversiis.

Hæc habui quæ de tropis & figuris *dicerem, quæ certè doctrina infinitior est quam vulgò creditur; atque hoc esse in causa puto, ut omnis ista disputatio, non solum dubia & incerta, sed controversa etiam, plenáque dissensionis semper fuerit. In qua tamen ego, quod simillimum veri visum est, sum secutus.* Qui plura de Tropis & Schematibus, *quæ in sacris literis occurrunt, scire discupiunt, consulant* Barthol. Westhemerum, *qui de Troporum & Schematum in sacris literis usu librum composuit satis longum, quem Eduardo Sexto Anglorum regi dicavit, impress. Basileæ.* 1551.

Soarez de arte Rhet. l. 3. cap. 30 Rhet. Philippo. Ram. lib. 1. cap. 3 4. in appendice.

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

Hactenus fuit Elocutio, *artificii Rhetorici pars tertia, adhuc duæ restant,* Memoria *&* Pronunciatio, *quas quæso ut pro more tuo breviter & dilucidè velis explicare.* §. 1.

BEnè equidem meministi. Explicabo utramque brevibus, inprimis verò *Memoriam, thesaurum rerum omnium, quæ nisi custos inventis cogitatisque rebus & verbis adhibeatur, intelligimus omnia, etiamsi præclarissima fuerint, in oratore peritura.* Cicer. de orat. lib. 1.

Quanam ergo ratione revocare mihi possum memoriam inventorum?

Viam firmandi & adjuvandi memoriam per locos veluti tabulas, & imagines veluti similitudines earum rerum, quas meminisse volumus, obscuram valdè puto & salebrosam; ea extra aleam ratio longè optima est, cùm comparandi tùm confirmandi memoriam, quam pueris præscribit Plutarchus quámque ex eo (quia jam ad manum est) describere non recusabimus, πάντων δὲ μᾶλιστα τὴν μνήμην δεῖ παιδεύειν ἀσκεῖ, &c. εἴτε ἐν φύ-

Vide Keck. Syst. Rhet. lib. 2. cap. 1. p. 234. & seqq. Quin l. 11. c. 2. Memoria necessariùm maximè vitæ bonæ. Plin. hist. nat. l. 7. c. 24. Vid. Soar. lib. Rhet. 3 c. 52. & seqq. Vide Alsted. orat. l. 4 c. 9. De felici memoria Senecæ & aliorum vide Sphing. Philos. c. 27. pag. 636. Joan. Coletus insignis ille Doctor tam.

facilè & felicis memoriæ fuisse perhibetur, ut omnia Decreta & Decretalia, operatorum Instituta, Aristotelis, eorumque asseclarum opera ad unguem memoriter tenuerit, imò ut quicquid legerit vel audiverit sine hæsitatione iterum recitare potuerit, referente Chr. Wirtzung Germano in Praxi Medicina universali, Anglicè pag. 120.

σιως

90 σεως μνήμονες εἶεν οἱ παῖδες, εἴτε καὶ τουναντίον ἐπιλήσμονες. τὴν γὰρ πλεονεξίαν τῆς φύσεως ἐπιῤῥώσομεν, τὴν δὲ ἔλλειψιν ἀναπληρώσομεν. καὶ οἱ μὲν τῶν ἄλλων ἔσονται βελτίους, οἱ δὲ ἑαυτῶν. Cum primis verò memoria puerorum est exercenda, sive ex naturali habitudine fuerint memoria tenaci, sivè contrà, labili. Hac quippe ratione fiet; ut in istis naturalis virtutis præstantiam firmemus; in his verò naturæ defectum compleamus; & isti aliis, hi verò seipsis meliores evadant. Plut. περὶ παιδ: ἀγωγῆς. Quare juventuti utilissimum est memoriam adjuvare & confirmare usu atque *exercitatione*, hoc, est frequenter ediscendo quædam memoriter. *Vid. Dress. Rhet. pag. 33. & Soarez. Jesuitam. lib. 3. de arte Rhet. c. 55.* Rectè & appositè doctiss. Zanchius. *Non est perdendus memoriæ thesaurus, perditur autem cum non exercetur.* Plurimum etiam adjuvatur memoria *scriptione* eorum quæ sunt inventa. *Vide Keck. Eccles. Rhet. lib. 1. pag. 33. & Sohnium de interpretat. eccles. ibidem. pag. 164. & Sturm. de imitat. orat. l. 1. c. 7.* Princeps ille orator *Demosthenes* non tantum *scripta* sed & *sculpta* se dicturum professus est. Et *Ludov. Vives* optimè quidem mea sententia monet, sic inquiens. *Utilissimum est, quæ memoria continere cupimus, ea scribere; neque enim aliter infiguntur stylo in pectus quam in chartam: Videlicet quoniam attentio in eo quod scribimus diutiùs immoratur, itaque magis suppetit tempus ut illud adhærescat.* Secundum aliquos adjumenta memoriæ sunt. I. *Intellectio clara*, nam quæ firmiter animo sumus

mus complexi benè loquimur. II. *Methodus perspicua.* III. *Scriptio ornata. Hoc enim nobis natura insitum est, ut quanto res distinctiùs oculis proponuntur, tantò eas faciliùs lucidiùs ac distinctiùs vis intellectiva apprehendat, & memoria tenaciùs ac diutiùs conservet,* inquit Sixt. Senens. *Biblioth. Sanct. lib. 3. method. 13.* IV. *Meditatio Seria.* Vide M. Bernard. *in Pastor. Londini impress. 1621. lib. 1. cap. 2. pag. 20. & seqq.* Ista quæ damus conservandæ & firmandæ memoriæ præcepta sparsim licebit legere in Alphabeto memoriali, quod ad calcem summulæ Biblii Joh. Shaw doctissimus Theologus & amicus mihi unicè dilectus apposuit; quod, quia longum non est, non pigebit huic capiti coronidis vice subnectere.

Adjumenta, memor queis sit mens, accipe, præsta.
Bisque quaterque legas, decies repetita placebunt.
Cuncta sua sub classe loces, nec lege teneri
Difficilem reputes operam: sic filius artis
Eximiusque clues. Attentè singula pensans
Fac meditere diu, sic intellecta recondes.
Grandia summatim tabulis, vel carmine stringas.
Hinc methodus genuina, locus dialecticus, ordo.
Insignes affige notas, stellásve, manúsve.
Lecta doce, confer, discepta, discute, transfer.
Multùm, sed non multa legas, vaga lectio lædit.
Non simul atq; semel, mē bratim at singula discas.
Otia læta, sales, ludi, modulamina prosunt.
Promovet & noctu reputentur ut acta diei.
Quæ legis ad numerum revocato, exscribe, videto.
Rixa, dolor, Venus, ira, metus, curæque fugantur,
Si sapis. A cœna potum fuge, frigida, cruda.

92 *Te ſtomacho vacuo ſtudiis da, incumbito mane.*
Utere odoriferis; buglossa, thure; Anacardis.
Zingibere, ac Acoro conditis: Mastige, Muſcho.

Caput Octavum.

§. 1. *Satis breviter de* Memoria, *jam velim pari brevitate agas etiam de* Pronunciatione.

Keck l. 3. Syſt Rhet. cap. 2. Dreſſ. 3. Rhet. pag. 931. Quin. l 11 c. 3 l. 1. cap. 10. Soarez. de Arte Rhet. l. 3. c. 56 & ſiqq. ad finem libri. Sturm. de imitat. orat lib. 1 cap. 15. v. Joh. Brinſl. Ludum literar. cap. 18. Thorn. Tull. Strom. 1. ſect. 17.

Deventum jam tandem eſt ad ſummum oratoris decus & complementum; unde nec ſine cauſa *Demoſthenes* cuidam percontanti quid in eloquentia eſſet præcipuum, reſpondit, Pronunciatio; tum roganti quid eſſet proximum, item reſpondit, pronunciatio. De ea certa præcepta dari non poſſunt, habeo tamen nonnulla in genere de ea adnotanda.

Quænam ea ſunt?
In pronunciatione duo ſunt conſideratu digna } *Vox* unde *Prolatio.* } *Geſtus* unde *Actio.*
Quænam ſunt de Prolatione leges?
De prolatione leges ſunt } *Generalis* una. } Plures *ſpeciales.*

Keck. l 3 Syſt. Rhet. c 3. Vid Alſted. orat. lib. 4. cap. 17.

Lex *generalis* eſt, *Ne fit graviſſima, néve acutiſſima:* Nam ſubmiſſo illo murmure debilitatur omnis intentio, contrà autem dicere omnia clamosè inſanum eſt. Itaque intermediis

mediis inter imum sublimúmque spatiis est consistendum. In omni quippe voce est quiddam medium, sed suum cuique voci; Hinc gradatim ascendere vocem utile & suave est. Commendat quoque orationem *pronunciatio tardiuscula*, qua de re vide Dresserum lib. 1. Rhet. pag. 19. optimè monentem. *Neque alienum fuerit, existimo, à pueris exigere quo sit absolutius illis os & expressior sermo, ut nomina quædam, versusque affectatæ difficultatis ex plurimis asperrimè cocuntibus inter se syllabis catenatos, & velut confragosos quam citissimè volvant [cujusmodi sunt (quæ ipse observavi inter legendum)* Quint. lib. 1. c. 5.

architriclinus. αὐτικατάκειτ☞. γλυκύπικρεν. καπνόκρεμ☞. πλιοκερατῶροι. Batrachomyomachia. Ἀποκολοκύνθωσις. Psychopannychia. Therapontigonoplatagidori. Arx stridens, rostris, Sphinx, pres, ter torrida, seps, strix. Doctor irrefragabilis. Gibralter straits. Ordine retrogrado. ὀρθυφοιτοσυκεφαντοδικοταλαιπώρων πέρπων. Florentem Cythisum. Nemorosa Zacynthus. Anathematizando anathematizabis eos. Habeo illum pro probo propheta. μάρτυσι τοῖς ψευκιχειρεσσονμιθίοις.

Hesiod. Hom. Sen. Calv. Plaut. Sphinx. Philos. c. 28. Aristoph. Virgil. Act. 10. 41.

Ευρηκα τὸ ῥῶ ῥεῤῥωδάμυον. Hercules apud Ethnicos dicebatur Addephagus, Leontaclænus, Damalephagus, Leontapales, Claviger, Scutalo-sagitti-pelliger. τῷ σωμάτων παντῶν λεπτομερέστ☞ χ, ὁμοιομερέστ☞ δεῖν ὁ αἰθὴρ. Habere aliquiditirativam & diffinibilem realitatem, commune est figmentis, & non figmentis. Doctrina scholasticorum est φιλοσοφοσεκτοιωξοπαλαιονικετολογία.

Demost. Sphinx. Montag. Diatrib. p 144. Ptolem Magr. Syntax. lib. 1. Gandaveus. apud Pic. Miraud. Neand.

94 θεολογία. Peccatum est de numero ineligibilium. Missa est ἀρτονεκρολειψανεικονολατρεία. Incurvicervicum Monachorum pecus tolutiloquentia mirè sibi complacet. Perquam graphicè Trogloditarum, Hexecontalithon expolituti, pixides expilavimus. When a Symonizing Schollar agrees with a Cehizying Patron, and a Judaizing Bishop to make a Diabolizing Impropriation. Marcum Antonium de dominis sic affatur D.D. Crakanthorp. *Quo te dignum compellem nomine? Voces nullæ tuis meritis pares; vecors, vanus, grandiloquus, falsiloquus, sycophanta, cres, miles gloriosus, Therapontigonus, platagidorus, Pyrgopolinices qui difflavit omnes in campis Gurgustidoniis, ubi Bombomachides Cluninstaridi sarchides erat imperator. Libet etiam hic adscribere partitionem illam apud* Alstedium *ex artificiosis sanè sed asperis, & non nisi mathescos studioso benè notis vocabulis compositam, ita se habet.* Disciplinæ mechanicæ sunt, vel θαυμαστοποιητικαὶ & αὐτοματοποιητικαὶ vel σφαιροποιητικαὶ, quò pertinent Gnomonica, Dioptrica, Meteoroscopica, Hydrologica, Hydroscopica, vel ὀργανοποιητικαὶ, sub quibus, Hydraulica, Pneumatica, Clasmatica, Belopoëtica, Cheiropalæstrica, vel *controbaricæ*, ubi traditur doctrina æqualibrantium & centroponderantium; vel deni; *Architectonicæ fabriles*] *res modica dictu, qua tamen omissa, multa linguæ vitia, nisi primis eximuntur annis, inemendabili in posterum pravitate durentur.*

M. Salerson. 2. Serm. Sect. 31. The Masse display. c. 9. Brittanno. Roman. c. 4. Thorn. Paræms. ad Rhet. The Truth of Tithes. pag. 159. Defens. Eccles. Anglic. cap. 64.

Alsted. Isagog. in Mathem. pag. 15.

Quintil.

Leges *speciales* sunt vel *communiores*, vel magis *particulares*.

Communi-

Communiores, ſunt de { *Voce* in ſingulis verbis vid. Tal. lib. 2. cap. 3. / Vocis { *Cantico*, cap. 4. / *Intenſione & remiſſione*, cap. 5.

Particulariores ſunt in ſingulis ſc. affectibus.

Igitur in {
- *Miſeratione*, vox erit flexibilis, plena, interrupta, flebilis.
- *Iracundia*, acuta, incitata, crebrò incidens.
- *Metu & verecundia*, contractus & hæſitans ſonus eſto.
- *Voluptate*, tenerum, lene, effuſum, hilaratum vocis genus optatur.
- *Blandiendo*, *Satisfaciendo*, *Rogando* { Lævis vox & ſubmiſſa ſit.
- *Dolore* ſive *Commiſeratione* grave quiddam & imo preſſu ac ſono obductum requiritur.

Fuit vox & *Prolatio*; *reſtat adhuc* geſtus & *Actio*. *Quænam ſunt de Geſtu leges.*

De *geſtu* leges ſunt vel de geſtu { *Totius* corporis. / Singularum *partium*.

De geſtu * *Totius* corporis lex unica eſt, ut omnes vocis flexiones ſubſequatur geſtus, quem tamen Orator moderabitur, accommodabitque magis ad ſenſus quam ad verba. Status verò corporis ſit ſecundùm naturam erectus, etenim

Erexit

Muſicen oratori valdè eſſe commodam. vide Quintil. lib. 1. cap. 8 fol. 23. Vide Tho. Wright. Anglicè monentem hæc de re lib 5. de paſſionib. animi Sect. 3. pag. 180. ult. edit. 1631.

§. 2.

Actio in dicendo una dominetur, ſine hac ſummus Orator eſſe in nullo numero poteſt, mediocris hic inſtructus ſummo ſæpè ſuperavit Cic. de orat. lib. 3.

* *Keck. lib 3. Syſt. Rhet. c. 4 pag. 395. Alſted. orat. lib 4. cap. 18.*

96 D. Heinſ.

Erexit ora gentis humanæ Pater,
Vultuſq; in alta fixit, & tuerier
Fuſſit micantem lumine æterno domum.

Geſtus ſingularum *partium* eſt, vel

- *Capitis*, cujus geſtus cum illo corporis ſtatu conſentiens eſſe debet: ſolo námque capite geſtum facere aut frequenter facere vitioſum eſt.
- *Oculorum*, nam indices animi ſunt oculi. Quare cum effeceris nè quid ineptum, aut vultuoſum ſit, tum oculorum debet eſſe magna moderatio, qui, quot animi motus ſunt, tot ſignificationes habent.
- *Humerorum*, à quorum jactatione cavendum eſt.
- *Brachii*, quod proceriùs projectum quaſi quoddam telum orationis eſt.
- *Manus*, quæ, cum cæteræ partes ſolùm dicentem adjuvent, propè ipſa loquitur.
- *Digitorum*, quorum particularis geſtus eſt, & inſignis ille quidem.
- *Femoris*, quod ferire uſitatum eſt & indignatos decet.
- *Pedum* quorũ obſervatur.
  - *Status*, de quo hæc eſt regula; In dextrum aut lævum latus vacillare alternis pedibus inſiſtendo ridiculum eſt.
  - *Inceſſus*, qui permiſſus eſt oratori, ſed rarò, & tantum in cauſis publicis ubi ſuggeſtũ eſt ſpatioſum. Diſcurſitare verò eſt ineptiſſimum.

Aſſted. in appendice ad oratorem ſuum, pag. 286.

Abſolvimus

Absolvimus (Deo gratias) totam eloquentiæ methodum de oratione perfecta & solenni componenda; nam quod imperfectam & familiarem attinet, de Epistolis scribendis, referenda illa est ad Epistolographiam Alstedii, *Institutionem epistolicam* Lipsii, *de conscribendis epistolis libellum* Erasmi *& aliorum qui operam navarunt non contemnendam isto in studio exornando.*

Secundùm regulas has & præcepta efformanda sunt tenera juvenum ingenia, & pueri instituendi. Quos tamen ita non constrictos volo, ut istis semper regulis superstitiosè inhæreant, * *quoniam si acutum præcipuè & fervens adsit ingenium, faciliùs adhæret eloquentia legentibus & audientibus eloquentes quam eloquentiæ præcepta sectantibus.* Verùm ut pueruli priusquam ire viam possunt, nituntur scamnis & fulcris ni concidant: ita & illos, donec orationem componere didicerint, hisce & similibus præceptis inniti debere existimo; quibus tamen in *imitatione* vel *exercitatione* postea cum maturuerint uti possint ad libitum suum, libitum dico, sed in [a] *imitatione.* Mihi namq; certè attentiùs cogitanti, explodenda videtur inprimis eorum sententia, qui imitationem prorsus sustulerunt & suum cuique ductũ in scribendo relinquunt. *Quintiliani* vox est prudens & gravis, [b] *Hercule* inquit *necesse est ut aut similes bonorum simus aut dissimiles, similes rarò natura præstat, frequentius imitatio,* [c] Quare summo quidem opere ju-

Dress. in Rhet p 31. vide locum.

* *August. de doct. Christ. lib. 4. c 3.*

a *De imitatione quantum præstat arti, vid. Alsted. orat. 4. l. cap. ult. ad finem.*

b *Qui. 2. l. c. 6.*

c *Pueris quidam Cicero & solum, & solus legendus. Kek. l. 2. Syst. Rhet spec. c. 2. p. 674. Deus operam in hoc genere discentes, ut cum aliquid sint scripturi, exquirant in Cicer. similis argum. tractat. Dress. ubi supra. Ad dicendi facultatem, ipsum Ciceronem, si non solum, certè potissimum volo. R. A. Epist. 1. De Genesi Imitativa, Vide Cramer. in prax Horat. c. 10. Quint. l. 10. c. 2. Soar. l. 1. c. 11. R. A. Epist. 1. Alsted. l. 2. orat p. 29.*

venes

98 venes hortor ut exempla sibi comparent & ob oculos suos ponant illustrium virorum, qui hac in arte cum gloria sunt versati, in quibus primas tenet *Cicero*, cui certè nos non modò primas styli in imitatione, sed etiam solas deferimus. Neque enim audiendi sunt isti qui omnes bonos latinitatis authores præfigi maluerunt; nusquam enim est qui ubique est. Unicum ergo tibi elige, quem fœliciter exprimas, eúmque si placet Ciceronem, [d] *qui ex omnium consensu cæteris omnibus hac in arte palmam eripuit, cui latinus sermo patrius fuit, cui literæ, lingua, artes, ingenium judiciumque perpolierunt, cui cum ætate hoc studium adolevit, cui denique, hoc ipsum curæ & cordi fuit, eloquentiam latinam perficere. Optabile quidem esset, difficilem esse in orationibus electionem, si copia Oratorum esset magna; nunc quoniam duo excellunt sine controversia, statuendum est, apud Græcos Demosthenis dicendi genus perfectum atque summum, apud Latinos* M. T. Ciceronis, *vel potiùs apud utrosque utrumque dicendi genus esse amplectendum.*

[d] *Sturm. de imitat. orat. in lib. 1 cap. 4. & l. 2 c. 3 & c. 4 & in scholiis suis in lib. 2. & c. 5. Vide Alsted. orat. l. 5. c. 17. & eund. in c. 18. ad finem fere l. 1 p. 6. Ad optimorum scriptorum lectionem atque imitationem adferenda.*

Quid dodte est cùm διαρετικὴ, & ἀνδρωτικὴ, tùm συνθετικὴ; præsertim in illis orationib. quæ non solum propter intelligentiam sed multo magis propter eloquentiam cognoscuntur, quales sunt clarissimi apud Latinos oratoris & unici omnium literatorum exempli, M. T. Ciceronis summa arte ac industria factæ & elaboratæ. Valentini Erythræus M. Ciceron. si me audieritis (ut Scipionem Uticensis Catonem) unum præ cæteris diligite, vel, ut ἀφορμητικῶς loquar, primo, secundo, tertio colite, semper amate. D. D. Thorn. Parænes. ad Rhetoric. Ob hanc causam tantùm videbatur, ne mortalium omnium eloquentissimus esset Demosthenes. Idem ibid. Vide Sphing. Philosoph. cap. 28 pag. 646.

Vi. Dres. Rhet. l. 3 pag. 919. & 721. 917.

Quod tamen à me dictum non ita volo intelligendum, quasi nullum fructum ex aliis autho-

authoribus percipi, nullum florem oratorium nisi in Ciceronis hortulo crescere putarem; sed hoc dico, unum vos debere imitari oratorem, & si ullum alium, certè Ciceronem, *in cæteris legendis, censores vos esse debere, in Cicerone discipulos; illos notare, hunc suspicere; illos gustare, hunc vorare, concoquere, & in sanguinem penitùs, succúmque vestrum vertere.* Tyroni namque & eloquentiæ studioso illud Fabii subindè inculcare volo, *Multum profecit cui Cicero placet.*

Lud. Viv. de caus. corrupt. art. l. 4.

E.C. Conducere arbitror, vocibus Cicero ianus Tyronum aures undique circumsonare Thorn. Paranos. ad Rhet.

Verum enim verò *imitationi* Ciceronis adjungenda est propria *exercitatio.* Illud enim M. Ciceronis semper ego ratum duxerim, *Stylus est optimus dicendi Magister. Hac exercitatione Demosthenes naturæ suæ vitia emendavit, linguam expedivit, latera confirmavit, spiritum & animum longiorem adeptus est, omniáque summa in agendo est consequutus, ut nemo major, nemo perfectior auditus fuerit. Hac consuetudine Cicero in Græcia & Asia ad illius ætatis summorum virorum vocem, vultum, motumque applicavit, ut qui Roma discedens Hortensio videretur disertior, is eodem reversus sese visus est superasse eloquentia. Hac exercitatione & industria quotidiana tres Philosophi ab Atheniensib. Romam legati missi, assecuti sunt non solùm prudentiæ laudem, verumetiam eloquentiæ gloriam, vel oratorum maximorum, Crassi & Antonii judicio, invenerunt.* Et ut semel dicam omnia, sine exercitatione styli & studii imitationis, non est quod speret quispiam se in ratione dicendi profecturum. Μελέτη πάντα δαύαται, studium & exercitatio possunt omnia. Verbis conclu-

Cic. l. 1. de orat. De ratione declamandi vide Sturm. de imitat. orat. l. 1. c. 13. & seq.

Thorn. Tull. Storm. 1. sect. 1. Subsect. 3. Exercitatio præceptorum anima est. Freig.

100

Quin. l. 1. ad finem præmii, & l. 10. cap. 3. Soarez. lib. 1. Rhet. cap. 10. Videatur Aug. lib. 2. de doctr. Christ. cap. 37. Præcipuus Analyseos scopus imitatio, Alsted.

dam Quintiliani. *Hæc ipsa sine doctore perito, studio pertinaci scribendi, legendi, dicendi multa & continua exercitatione nihil prosunt.* Sed enim dices forsan, quomodo imitabor Ciceronem? qua ratione artem Ciceronianam & eloquentiam oratione mea adumbrabo? Sanè si vel præceptor præeundo ostenderit tibi oratoris artificium, vel tu ipse illud inter legendum animadverteris. Quod certè quo faciliori possis negotio deprehendere, ecce rem totam exemplis luculentissimis docebimus. Tu consule bonis, & quicquid per ista exempla in arte resolutoria profeceris, acceptum refer *Thomæ Freigio*, è cujus quæstionibus [illegible] nos ista in tuum usum deprompsimus.

LIBEL-

LIBELLUS
Posterior de Analysi
ORATIONIS.

CAPUT PRIMUM.

De Analysi, quid sit & quomodò fiat.

De Genesi *oratoria me satis monuisti, quæso jam ut de* Analysi *etiam quædam præcipere dignari velis, & cum primis quid sit* Analysis *audire ex te cupio.* §. 1.

ANnalysis est scripti alicujus aut consilii methodica exploratio, & quasi ad vivum resecatio, ἀπὸ τοῦ ἀναλύειν à retexendo dicta; quòd hæc exercitatio quasi Penelope contextam jam telam retexat; uti & nos palam jam exemplis sumus patefacturi in quibusdam orationibus Ciceronianis methodum oratoris & partes orationis statim enodaturi. *Ram. Schol. Dialect. lib. 7. pag. 187.*

Quomodò ergo dextrè scriptam aliquam oratiunculam resolvam?

Si duo tantummodò observaveris, primò *quæstionem* ipsam sive thema, secundò singulas *orationis partes.* *Keck. Syst. Rhet. Spec. lib. 2. cap. 1. pag. 707.*

102 §. 2. *Audivi ex te sæpiùs exempla maximè illustrare; rationem ergo istam resolvendi explicabis mihi, si placet, exemplis.*

Benè equidem mones. Illud n. jam πολυσύλλογον est, *Longum iter per præcepta, breve per exempla.* Quare rationem istam explicabo non invitus uno aut altero exemplo ex orationibus M. Ciceronis desumpto, de quibus ipsum inprimis ita loquentem audies. *Nulla est ullo in genere laus oratoris, cujus in nostris orationibus non sit aliqua, si non perfectio, at conatus tamen & adumbratio. Non assequimur; at quid deceat, vidimus. Nec n. nunc de nobis sed de re dicimus.* [ibi autem idæam quærit perfecti oratoris] *In quo tantum abest ut nostra miremur, ut usq; eò difficiles ac morosi simus, ut nobis non satisfaciat ipse Demosthenes. Qui quanquam unus eminet inter omnes in omni genere dicendi, tamen non semper implet aures meas, ita sunt avidæ & capaces, & semper aliquid immensum infinitumq; desiderant.* Cicer. in Oratore ad Brut. pag. 638.

Quænam sunt ista exempla de quibus me docere jam pergis?

Solent orationes Ciceronis in tria volumina distinguere. *Ex primo* volumine unicam desumemus orationem, ex *tertio* alteram, utramq; satis longam, ex *medio* verò duas, alteram longiorem, breviorem alteram.

Quænam est ista oratio quam resolvendam susceperis ex primo *volumine?*

Ea est oratio *pro Sex. Rosc. Amerino*, ob quam Ciceronem in causa victorem magna in admiratione fuisse scribit Plutarchus, de qua etiam sic ipse Cicero. *Prima causa publica*

pro

pro Sex. Roſcio dicta tantum commendationis habuit, ut non ulla eſſet, quæ non noſtro digna patrocinio videretur. In Oratore ad Brutum. 103

CAPUT SECUNDUM.

Artificium in oratione pro S. Roſcio Amerino.

Quænam eſt quæſtio *iſtius orationis?* §. 1.

QUæſtio eſt, *An Sex. Roſcius patrem ſuum occiderit*, quod Cicero negat, pertinet autem hoc negotium ad *genus Judiciale*, & ſtatus orationis eſt *Conjecturalis*.

Quot ſunt partes *iſtius orationis?*

Habet quidem *Exordium*, *Narrationem*, Conſtitutionem cauſæ ſive *Partitionem*. Contentionem ſive *Confirmationem*, & *Perorationem*.

Quid agit in Exordio? §. 2.

Cauſas affert primò cur ad dicendum *ſurrexerit*, deindè cur cæteri *formident*. *Exo. dium.*

Quænam cauſæ ſunt cur Cicero ſurrexerit?

Sunt in duplici differentia; *falſæ*, quas removet eleganti prolepſi ſtatim ab initio; & ſunt audacia, nimiúmq; officium. *veræ*, quas ponit, tres; 1. ego tutius quam illi dicere potero, 2. meæ adoleſcentiæ ignoſci poterit; 3. à me petierunt hi quibus negare non potui. His tribus à diſſimilibus deſumptis

causis subjicit Epiphonema à diversis. *Credo ego vos judices mirari* &c.

Quænam causa est cur cæteri formident?

Potentia Chrysogoni, qui bona Roscii occisi emit. Ad eam partem transit alia prolepsi, *forsitan quæratis* &c. Deinde subjicit *Comparationem* dissimilium, in cujus *Protasi* per mimesin postulatio *Chrysogoni* inducitur. *Is à vobis Judices hoc postulat, ut quoniam in alienam pecuniam* &c. in *Antapodosi* verò postulatio *Ciceronis*, duplex est, prima à Chrysogono, *Primùm à Chrysogono peto, ut pecunia* &c. altera à Judicibus, quæ duo continet, 1. ut innocentium calamitatem levent, hoc syllogismo; Si minima in re deliquit Roscius, à Judicibus plectatur; sed nihil in eo causæ inveniri potest; indignum ergo est Judicum sententia illum plecti; quæ complexio augetur ab adjunctis Judicum, adversariorum, Ciceronis. 2 Ut audaciam sceleri resistant, per comparationem parium, & apostropham ad Fannium, expectationem omnium, & adjuncta pericula, quæ comparatione multiplici illustrantur, cum insigni Anaphora. *Deinde à vobis Judices ut audaciam sceleri resistatis, innocentium calamitatem levetis, & in causa Sex. Roscii periculum* &c.

Atq; hic (non inficior) curæ meæ privatæ omnes, & labores publici, quos non invitus sustineo, me à studio decurrendi ulteriùs hoc campo Rhetorico ruentes deterrere potius quam suadere conabantur. Quod & ego in animum ferè meum induxeram, præsertim cum propè infinitum

nitum mihi laborem prospicerem, & ipsa cogitatione suscepti muneris fatigarer; nisi interim mihi hæc cogitanti occurrisset illud *F. Quintiliani. Durandum est quia cæpimus, & si viribus deficiemur, animo tamen perseverandum:* Age ergo, dispicianus ulterius. *Quint. lib. 4. in Prolog.*

Quid agit Orator in Narratione? §. 3.

Narratio.

Narrationis membra sunt in duplici differentia.

- Externa & duo sunt
  - *Præparatio* ad Narrationem.
  - *Digressio* post Narrationem.
- Interna & sunt duo
  - *Expositio* rei gestæ.
  - *Clausula* Narrationis ἐπφώνημα.

Ubi habetur præparatio *ad Narrationem?*

Ibi loci. *Atque ut facilius intelligere possitis, Judices, ea quæ facta sunt, indigniora esse* &c. ad periodum sequentem.

Digressionem *explicabimus suo loco; Quot sunt partes* Expositionis?

Duæ: in priore continetur *cædes* Roscii, in posteriore ea *quæ consecuta* sunt cædem.

Quomodò exponit cædem?

Cædes exponitur bifariam, ratione

- Personæ
  - Cædem *patientis*, S. Roscii, qui describitur à nobilitate, pecunia, gratia, factis. *Sex. Roscius Pater hujusce* &c.
  - Cædem *inferentis*. T. Roscii & Roscii magni & Roscii Capitonis. *Nam duo isti sunt T. Roscii, quorum alteri Capitoni cognom:* &c.
- Circumstantiæ
  - Loci, qui est ad Balneas.
  - Temporis, quod est à cæna. *Nam cum hic S. Rosci: esset Ameriæ* &c.

Quænam consecuta *sunt cædem?*

1. Nunciatio cædis, nunciatur n. cædes Roscio Capitoni (ubi amplificatio celeritatis) & Chrysogono Syllæ liberto, ubi Prosopopœia est. *Occiso Sex. Roscio primus Ameriam nunciat Manlius*, &c. 2. Societas Chrysogoni cum Rosciis & bonorum emptio, Ibi est per prolepsin digressio ad excusationem Syllæ, quia non possit omnes improbos observare & compescere. *Ne diutiùs vos teneam Judices, Societas coitur. Cum jam proscriptionis* &c. 3. Occupatio bonorum per T. Roscium amplificata factis ejusdem & adjunctis indignitatis per distributionem, *Interea iste T. Roscius, vir optimus, procurator Chrysogoni Ameriam venit, in prædia hujus invadit* &c. 4. Legatio Amerinorum ad Syllam, quos Chrysogonus & Capito eludunt, ubi summa habetur legationis, *Itaque decurionum decretum statim fit, ut*

ut decem primi proficiscantur &c. 5. Fuga Roscii Romam ad Cæciliam, quam describit ab adjunctis & factis, *Quod is simul atque sensit, de amicorum cognatorumque sententia Romam confugit* &c. 6. Consilia adversariorum quibus impulsi Roscium jugulari cuperent, *Nam postquam isti intellexerunt summa diligentia vitam S. Roscii custodiri* &c.

Fuit expositio rei gestæ quænam est clausula *narrationis* ἐπιφωνηματικὴ ?

Continetur his verbis, *Hoc consilio atque ideo hac dementia impulsi, quem ipsi cum cuperent, non potuerunt occidere, eum jugulandum vobis tradiderunt.*

Quid agit in Digressione ?

In digressione duo sunt.
- Ἀπορία sive dubitatio ad movendum πάθος. *Quid primum querar? aut unde* &c.
- Ἀνακεφαλαίωσις sive brevis repetitio, ea triplex est.
  - 1. Rei gestæ quam exposuit in Narrat. *Pater occisus nefariè, domus* &c.
  - 2. Affectus sui quem proposuerat in Exordio. *Et forsitan in suscipienda* &c.
  - 3. Sceleris adversariorum collustrati
    - Prosopopæia Roscii. *Patrem meum cum proscriptus non esset, jugulastis* &c.
    - Simili facto Fimbriæ, cujus habetur
      - Πρότασις, *Hominem longè audacissimum nuper* &c.
      - Ἀνταπόδοσις *estne hoc illi dicto atque facto* &c.

Post Narrationem sequitur causæ constitutio, *Quotnam agit hac in parte?* §. 4. *Partitio.*

108 *Proponit.* Propositio autem ipsa non aperta est sed figurata. *Quid est in hac causa quod defensionis indigeat?* quasi dicat, Roscius est innocens.

Duo, *Partitur.* Partitio autem neq; simplex, sed primò est promissio partitionis, *Totam causam Judices explicemus* &c. deinde sequitur ipsa partitio, *Tres sunt res, quantum ego existimare possum* &c.

§. 5. *Post causæ constitutionē accede ad Contentionē*
Confirmatio. *sive* Confirmationem, *Quot sunt ejus partes?*

Tres
1. Est ἀποφατικὴ *Negativa*, in qua crimen adversariorum diluit, quod Roscius non occiderit patrem.
2. ἀποδεικτικὴ *Demonstrativa*, in qua ostendit T. Roscium hanc cædem fecisse.
3. ἐλεγκτικὴ *Reprehensiva*, in qua Chrysogoni potentiam exagitat & in invidiam adducit.

Prima pars fluit latiore flumine, memini autem ex logicis Oratorem illud probare fusiùs, quod Dialecticus concludit pressiùs, *potesne ergo totam illam probationem Rhetoricam in pugnum dialecticum contrahere?*

Possum, idq; absolvam hoc Syllogismo; Vobis (Judices) non est credendum, S. Roscium illud scelus perpetrasse, cujus perpetrandi rationem nullam neq; adduxit Erucius (orator hac in causa adversarius) neq; adducere potuit; verùm parricidii, de quo Roscius accusatur, perpetrandi rationem nullam neq; adduxit, neq; adducere potuit Erucius; ergo S. Roscium hanc cædem commisisse vobis certè (Jud.) non est credendum.

Quomodò probat Orator Assumptionem in qua videtur tota vis argumentationis latere?

Constat ex duabus partibus, 1. quòd non adduxit rationem aliquam, *Quorum tu nihil in S. Roscium ne objiciendi*

quidem

quidem causa contulisti; 2ª quòd neq; ullam 109
adducere potuit.

Quomodò illud evincit?

Quia Sex. Roscio occidendi patrem nec *voluntas* inerat nec *facultas*. *Vide Dress. Rhet. lib. 1. pag. 153.*

Quomodò probat ei defuisse voluntatem?

Quod Roscius non habuerit voluntatem occidendi patrem, probatur à

- Persona Roscii quia non fuit
  - Adolescens corruptus, homo audax, luxuriosus, debitor cupidus, *Patrem occidit Sex. Roscius. Qui homo? adolescentulus corruptus, &c.*
  - Odio patri, ejus enim rei aut
    - Nulla causa affertur, *Patri inquis non placebat, patri non placebat? quam ob causam? &c.*
    - Falsa signa qualia sunt
      - Ablegatio in rus; at hoc non odio fieri solet sed consuetudine & benevolentia *Hunc in prædia rustica relegarat, ad Erucio, &c.*
      - Exhæredatio; at ejus rei nullam causam afferre potuit Lucius, *Nam istum exhæredare in animo habebat, Audio nunc, &c.*
- Re, sive parricidio quia scelus est
  - Magnum, 1. testimonio nat. 2. adjunctis portentorum & immanitatis. 3. comparatione ferarum. 4. testimonio Iudicum Terraconensium. 5 exemplo poetico Oresti. *De parricidio causa dicitur ratio ab accusatore, &c.*
  - Cui singulare supplicium est constitutum à majoribus quorum prudentia 1. ponitur, *Itaque cum multis ex rebus intelligi potest majores nostros, &c.* 2. Illustratur comparatione a Atheniensis facta, *Prudentissima civitas Athenienses, &c.*

Quomodò

110 *Quomodò docet Roscium non habuisse* facultatem ?

Illud probat ex circumstantiis loci, temporis, personarum ; tota probandi ratio ad syllogismum hunc reduci posse videtur. Si Roscius patrem occiderit, aut *sua manu* fecit, aut per aliquos *libertos* aut *servos:* sed nec *sua manu* fecit, quia Romæ multis annis non fuit, neq; de prædiis temerè unquam discessit, qui autem re gaudet rustica maleficia tanta eum meditari vix credibile est, nec per *libertos* (quos non potuit convenire) nec per *servos*; quod neque qua ratione eos inducere, neq; ubi, neq; per quos, neque qua spe, aut quo pretio potuerit, ostendit accusator. Ergo Roscius patrem non occidit ; & proinde est innocens. *Esto, causam proferre non potes, tamcisi statim vicisse debeo, tamen de meo jure decedam* &c.

Fuit Confirmationis pars negativa, *sequitur* demonstrativa. *Quid agit hac in parte ?*

Duo videntur consideratu digna { *Transitio,* & *Ratiocinatio.*

Quid est Transitio ?

In ea commemorat qua causa ad accusandum impulsus sit, fide scilicet non cupiditate accusandi. *Venio nunc eò quò me non cupidit as ducit sed fides, Nam.* &c.

Qualis est Ratiocinatio ?

Ea confici potest hoc Syllogismo. Qui causam & facultatem occidendi habuit, is occidit. T. Roscius & causam & facultatem occidendi habuit, Ergo T. Roscius. S. Roscium occidit.

Quo-

Quomodò probat. T. Roscium habuisse occidendi causam ?

E causa duplici probatur, προηγουμένη sive extrinsecùs movente, & πρόσγειος sive intrinsecùs impellente.

Quomodò ex causa procatarctica ?

Sic. Is maximè cædem fecisse videtur, cui bono sive commodo fuit ; approbatur testimonio Cassii, & sententiæ. Cædes Roscii maximè profuit T. Roscio, & obfuit filio S. Roscio. nam T. Roscius inde ditior factus est, Sextus verò Roscius egentissimus, Ergo T. Roscius occidit. *Causam tu nullam reperiebas in Sexto Roscio, at ego in T. Roscio reperio.*

Quomodò ex causa proegumena ?

Sic. Qui tenuis, avarus, audax, occiso inimicissimus fuit, is potiùs occidit, quam alius; At T. Roscius talis est, ergo ille occidit. *Quid si accedit eodem ut tenuis anteà fueris ? quid si ut avarus ? quid si ut audax ?* &c. Conclusio illustratur digressiuncula, in qua invehitur in personam Erucii, *Hæc tu, Eruci, tot & tanta si nactus esses in reo,* &c.

Quo medio probat T. Roscium habuisse occidendi facultatem ?

Non uno sed modo duplici. { *Circumstantiis* loci & temporis. / *Consequentibus* sive signis quæ Cædem sunt sequuta.

Quomodò ex circumstantiis *hoc constat ?*

Hoc Syllogismo connexo. Qui Romæ assiduus fuit, qui sicarius & percussor fuit, ab eo verisimilius est Roscium occisum esse, quam ab eo qui nec Romæ fuit, nec sector fuit.

At

112 At T. Roscius Romæ assiduus fuit & sector fuit, S. vero Roscius horum nihil fuit, Ergo. *Videamus igitur causas esse permultas, quæ istum impellerent. Videamus nunc ecqua facultas suscipiendi maleficii fuit. Ubi occisus est,* &c.

Quænam sunt Consequentia *seu facta post mortem Roscii?*

Varia illa sunt. I. audacia T. Roscii, quam Rhetoricè insectatur. II. volucre nuncium (ita enim ipse appellat) mortis S. Roscii Roscio Capitoni per Glaucium familiarem & socium Roscii, & Chrysogono insuper per Roscios ipsos, qui amici antea fuerint Chrysogono & in bonis occisi versentur. III. Roscii Capitonis perfidia summa, qui profectus ad Chrysogonũ impedivit quo minùs de his rebus Sylla doceretur, in quem orator miro artificio invehitur. IV. Conscientia sceleris convicti nolunt examinari servos, sed in honore eos habent, quasi qui sciant istos aliquid pernicioſum ipsis dicturos esse. *Videamus nunc strictim, sicut cætera, quæ post mortem Sex. Roscii abs te T. Rosci facta sunt; quæ* &c.

Restat jam ultima *pars* Contentionis, *quid agit in hac parte?*

Duo sunt etiam hîc considerata digna { *Transitio* & *Tractatio.*

Quid agit in transitione?

In ea commemorat ordinem dictorum. *Meministis me ita distribuisse initio causam,* &c. deinde rem ipsam cum joco exorditur. *Venio nunc ad illud nomen aureum Chrysogoni,* &c.

Quid agit in tractatione?

Duo

Duo ſunt in ea, { *Diſputatio* de *venditione* bonorum Roſcii. / *Declamatio* in Chryſogoni *potentiam.*

Quid de venditione *bonorum ſtatuit?*

Tota diſputatio contrahi poteſt in hunc Syllogiſmum. Si bona Roſcii jure & lege proſcriptionis venierunt, tum Roſcius aut in adverſariorum præſidiis occiſus, aut malus civis fuit, aut bona ad diem in lege præfinitam venierunt; ſed nihil horum eſt. Bona ergo Roſcii lege proſcriptionis non potuerunt venire. *Bonorum Sex. Roſcii emptor eſt Chryſogonus. Primum hoc videamus, ejus hominis bona qua ratione venierunt,* &c.

Quomodo exagitat potentiam *Chryſogoni?*

Per diſtributionem iſta omnia ordine enumerans, 1. Ejus prædia, 2. domum & ſupellectilem. 3. familiam. 4. luxum & ſumptus quotidianos. 5. habitum. 6. Conatus, ubi longa argumentatione nobiles homines demulcet, ne videatur, adverſus Chryſogonum dicens, eorum cauſam lædere. *Habet animi relaxandi cauſa rus amœnum, & ſuburbanum, plura præterea prædia,* &c.

§. 6. *Peroratio.*

Poſt Contentionem *ſequitur* Peroratio, *quid in ea agit?*

Conſtat ea { *Propoſitione* una. / *Apoſtropha* duplici.

Quænam eſt Propoſitio?

Roſcius, quamvis bonis omnibus paternis ſit denudatus, tantùm cupit nefario crimine ſolutus diſcedere. *Verum hæc omnis oratio (ut jam*

jam ante dixi mea est: qua me, &c.

Quænam est prior Apostropha?

Ad *Chrysogonum*; quem rogat ut pecunia Roscii contentus vitam ejus non petat, præcipuè cum nulla ei sit causa cur Roscium affligat. *Rogat oratque te Chrysogone, si nihil de patris fortunis ampliſſimis in suam rem convertit; si nulla in re te fraudavit; si tibi,* &c.

Quænam est posterior Apostropha?

Ad *judices*; quorum implorat misericordiam & bonitatem, ut Roscium à crudelitate adversariorum, & potentia Chrysogoni defendant & tueantur. *Verum si à Chrysogono, judices, non impetramus ut pecunia nostra contentus sit, vitam ne petat: si ille adduci non potest, ut cùm ademerit nobis omnia, quæ nostra erant propria, ne lucem quoque hanc,* &c.

Atque hæc perspicua est Analysis logica hujus orationis & *Dispositio* inventionis Rhetoricæ; dei *Memoria* & *Pronunciatione* Ciceronis nihil occurrit quod dicamus; quod *Elocutionem* attinet, tropolque & schemata, quibus ornatur hæc oratio, non est nobis animus, qui brevitati studemus, ista recensere. Legite apud Tho. Freigium. Accedamus jam oportet ad elegantem illam pro Archia oratiunculam in secundo volumine.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

Artificium in Orat. pro Archia poëta.

Quænam eſt quæſtio *totius orationis?* §. 1.

AN *Archias ſit à civibus Romanis ſegregandus,* quod negat Cicero; pertinet autem hoc quæſitum ad *genus Judiciale,* ſtatuſque orationis eſt *Conjecturalis.*

Vide præter Freigium in diſputat. inthraſe, Droſſ. lib. 4. Rhet. p. 939.

Quot ſunt iſtius orationis Partes?

Habet certè *Exordium, Propoſitionem, Narrationem, Confirmationem,* & *Perorationem.*

Orationem imitativam ex Archiana Ciceronis quodammodò efficiam vide apud Droſſ. ubi ſupra. p. 991.

Quid agit in Exordio?

Duo. *Probat primò, deinde* ſolvit.

Quid Probat?

Se debere cauſam Archiæ agere, hoc ſyllogiſmo. Si Ciceronis eloquentia hortatu & præceptis Archiæ confirmata aliis profuit, debet & ipſi Archiæ prodeſſe; ſed primum, Ergo & poſtremum. Complexio eſt in 1° loco. *Si quid eſt in* &c. deinde Aſſumptio. *Nam quoad longiſſimè, &c.* ultimo loco Propoſitio. *Quod ſi hæc vox hujus hortatu,* &c.

§. 2. *Exordium.*

Expendas velim iſtam probationem penſiculatiùs.

Benè mones: in ea obſervanda mihi occurrunt tria. I. θέσις. Officii ratio me cogit, ut Archiæ cauſam agam, primis verbis,

116 bis, *Siquid est in me*, &c. II. αἰτιολογία. Quia Archias autor fuit studii mei in arte dicendi collocati. *Nam quoad longissimè potest mens mea*, &c. III. ἀπόδοσις. Si igitur aliis dicendo profui; meritò & vel inprimis prodesse debeo Archiæ. *Quod si hæc vox*, &c.

Vidimus quid probat, *jam quid* solvit *videamus.*

Duo; idque per duplicem Prolepsin; prior est. Quomodò tu, qui Orator es, ab Archia poeta juvari potuisti? Solutio est. Artes inter se cognatæ sunt & se mutuò juvant. *Ac ne quis à nobis hoc ita dici fortè miretur*, &c. posterior est. In judicio non solet declamari de artium dignitate, quod tu facere instituis, solutio est. Si novum & inusitatum genus dicendi jam instituo, spero veniam mihi à vobis datum iri propter personam Archiæ, quæ in literis non in judiciis vixerit. *Sed ne cui vestrum mirum esse videatur me in quæstione legitima* &c.

§. 3. *Propositio.* *Absolvimus* Exordium, *quænam est summa* Propositionis?

Duo in ea sibi probanda proponit. I. Archiam esse civem. II. si non sit, tamen adsciscendum esse. *Quod si mihi à vobis tribui concedi; sentiam, perficiam profectò* &c.

§. 4. *Narratio.* *Fuit* Propositio, *percurramus jam breviter brevem illam, perspicuam, suavemque* Narrationem.

In ea vitam depingit Archiæ. I. ex studiis pueritiæ. *Nam ut primum ex pueris excessit Archias* &c. II. ex patria, Antiochia, nam *ibi natus est loco nobili & celebri* &c. III. ex ingenii

genii celebritate ſeu fama, quæ citò pervolavit Aſiam, Græciam, Italiam. *Poſt in cæteris Aſiæ partibus cunctæque Græciæ* &c. IV. ex præmiis ingenii & doctrinæ ejus: Eſt n. expetitus ab omnibus & civitate donatus. *Itáq; hunc & Tarentini & Rhegini* &c. V. ex adventu in urbem Romam, & familiaribus ſuis, ſummis viris. *Hac tanta celebritate famæ, cum eſſet jam abſentibus notus, Romam venit* &c. VI. ex jure civitatis Heraclienſis, quæ ſocia Romanorum fuit. Ubi continetur propoſitio ſequentis probationis. *Interim ſatis longo intervallo, cum eſſet cum L. Lucullo* &c. 117

Quid agit in Confirmatione? §. 5.

Secundum totius orationis propoſitionem duo probaturus eſt in Confirmatione. I. Archiam *eſſe civem* Romanum. II. *civitate dignum* eſſe. *Confirmatio.*

Quomodò conſtat Archiam eſſe civem?

Hoc Syllogiſmo. Qui civitati ſociæ ſeu fœderatæ adſcriptus eſt, & habuit tempore legis latæ in Italia domum, & ſexaginta diebus apud prætorem profeſſus eſt, is civis Romanus eſt. At Archias hæc habet omnia. Ergo civis eſt. Propoſitio ex lege Syllani & Carbonis conceſſa, & in extrema parte Narrationis poſita eſt; Aſſumptio per partes ponitur. 1. Heracleæ, ſociæ civitati, aſcriptus eſt. *Heracleæne eum aſcriptum eſſe negabis?* &c. 2. habuit in Italia domum. *At domicilium Romæ non habuit* &c. 3. Profeſſus eſt. *At non eſt profeſſus: imò* &c. Complexio ibi. *Quæ cum ita ſint. Quid eſt* &c. quæ 1. approbatur quidem cùm per majora, ibi. *Etenim cum mediocribus*

118 *diocribus multis* &c. tùm per minora, ibi, *Quid? cum cæteri non modò post* &c. 2. amplificatur per prolepsin de censu. *Census nostros requiris?* Responsio est per concessionem Ironicam; *quasi verò hoc lateat homines Archiam, cum censeri debuit, non fuisse domi; & cum domi fuit, nullum civem tum esse censum.*

Quomodò probat Archiam dignum *esse* civitate?

Illud probat bifariam, *generatim* primò, dein *specialim.*

Quomodò generatim?

Ex eo quod est poëta, sic concludit. Omnes poëtæ ornandi sunt & conservandi; Archias est poëta; Ornandus ergo ille est & conservandus, dignus amore omnium, etiam civitate ipsa. Major confirmatur ex Poëseos fructu & effectu. *fructu* duplici, ad eloquentiam conducit, *Quæres à nobis Gracche cur tantoperè* &c. ad mores etiam formandos, & res magnas gerendas excitat. *Nam nisi multorum præceptis, multisque literis mihi ab adolescentia suasissem* &c. *effectu*, communissima nempe delectatione & remissione animi humanissima, liberalissimáque. *Quod si non hic tantus fructus ostenderetur, & ex his studiis delectatio* &c. Minor probatur, ex *effectis* dupliciter, quia ex tempore bene dicit. *Quoties ego hunc Archiam vidi judices* &c. quia præmeditatus optimè scribit. *Quæ verò accuratè cogitatéque scripsisset* &c. Conclusio illustratur loco *efficientis.* Sedibus Æthereis spiritus ille venit. *Hunc ego non diligam?* &c. *testimonii* Ennii. *Quare suo jure noster ille Ennius* &c. *dissimilium,*

nulla

nulla barbaria unquam poëtas violavit, ergo multò minus judices humaniſſimi eos violare debent. Beſtiæ curant poëſin, multò ergo magis homines docti curare debent; alii denique de Homero contenderunt, eúmq; mortuum & alienum expetiverunt, nos ergo magis Archiam vivum & noſtrum expetere debemus.

Quomodò ſpeciatim & magis appoſitè docet Archiam dignum eſſe civitate?

Hoc argumento. Qui illuſtrat nomen populi Romani, is eſt civitate dignus; Archias illuſtrat nomen laudémq; populi Romani; eſt ergo civitate dignus. Aſſumptio primo loco ponitur, & approbatur diſtributione effectorum. *Præſertim cum omne olim ſtudium, atque omne ingenium contulerit Archias* &c. Propoſitio ibi, *quare quorum ingeniis hæc feruntur, ab iis populi Romani fama celebratur* &c. illuſtratur exemplis,

Quæ ſunt
- Poëtarum, qui amati fuerunt & in urbem recepti, ut
  - Ennius. *Carus fuit Africano*, &c.
  - Rudius. *Ergo illum*, &c. quamvis alii per Rudium volunt Ennium Rudiis natum. Ita Dreſſ. lib. 4. pag. 979.
- Eorũ, qui poëtas amârunt & ornarunt ut
  - Pop. Rom. *Univerſus. Quare ſi res illæ quas*, &c.
  - Singuli homines
    - Imperatores
      - Externi, ut *Alexander.*
      - Domeſtici, ut *Pompeius*, qui Theophanem, *Sylla* qui malum poëtam, *Metellus*, qui Cordubenſes. *Brutus*, qui Accium coluit, & *Fulvius*, qui manubias Muſis conſecravit.
    - *Cicero* ipſe, qui Archiam, quòd conſulatum ſuum deſcripſerat, impenſiùs diligit.

Ultimo

120 §. 6. *Peroratio.*

Ultimo jam in loco, quid agit quæso in Peroratione ?

Peroratio constare videtur { *Repetitione.* & *Petitione.*

Quid repetit ?

Argumenta Confirmationis breviter enumerat, ut pudorem, dignitatem & ingenium Archiæ, qualitatem causæ, & effecta Archiæ. *Quare, conservate, judices, hominem pudore et quem amicorum studiis* &c.

Quid petit ?

Duo, primò ut judices in fidem suam accipiant Archiam. *Quæ cum ita sint, petimus à vobis, judices, siqua non modo humana* &c. Secundò, ut in bonam partem accipiant novum dicendi genus, & in foro insolitum. *Quæ de causa pro mea consuetudine breviter simpliciterque dixi, judices, ea confido* &c.

Grammaticos *fructus* hujus orationis in phrasibus, Ethicos *flores* in gnomis, Rhetorica *ornamenta* in figuris apud Dresserum colligite & Freigium. Nos probe satis munere nostro functos arbitramur, cum Logicam Analysin, quatenus ad Rhetoricam Genesin conducit, præ oculis tyronum posuerimus; accedamus jam oportet ad alteram in secundo volumine orationem paulò longiorem, eam, nempe, quam ad populum habuit orator pro lege Manilia.

CAPUT

CAPUT QUARTUM.

Artificium in oratione pro lege Manilia.

Quænam eſt quæſtio totius orationis? §. 1.

AN *Pompeius bello Aſiatico ſit præficiendus?* Id quod Cicero ſuadet. Pertinet ergo hoc negotium ad genus *Deliberativum*.

Quænam ſunt partes *totius orationis?*

Habet certè *Exordium, Narrationem, Partitionem, Confirmationem, Confutationem* & *Peroorationem*.

Quid agit in Exordio? §. 2.

Exordium.

Omnia ſunt in hac oratione tam perſpicua, & methodus ipſa adeò facilis, ut lectorem requirat ſolummodò non negligentem. Quare in ea reſolvenda, quamvis longa ſit, breviores ſumus futuri. In exordio duplicem reddit rationem, 1° cur hactenus ſiluerit. 2° cur jam dixerit. Totum ergò conſtat, ex Protaſi & Antapodoſi. *Protaſis* eſt. Antea conciones ad populum non habui; quia nihil authoritatis, nihil facultatis ad agendum habui. *Quanquam mihi frequens* &c. *Antapodoſis* eſt. Jam verò authoritatem pariter habeo & facultatem, itaque in concionem prodeo. Ibi autem reddit auditores 1° *benevolos* à gratia

122 grati animi significatione. *Nunc cum & auctoritatis in me tantum sit*, &c. 2° *Attentos* à re ipsa. *Atque illud inprimis mihi lætandum.* 3° *Dociles* à summa orationis. *Dicendum est enim de Cn. Pompeii*, &c.

§. 3. *Narratio.*

Quid agit in Narratione ?

Narratio causæ expositionem complectitur, & in duobus consistit. 1° bellum periculosum & grave Romanis inferri à Mithridate & Tigrane potentissimis regibus. 2°. ad id bellum dexterè conficiendum omnium votis deposci imperatorum unum Pompeium. *Atque ut inde oratio mea proficiscatur*, &c.

§. 4. *Partitio.*

Quænam est totius orationis Partitio ?

Potest ita redigi in διχοτομίαν. Dicturus est orator

de { *Bello*, ipsiusque tum { *Genere*, quod sit necessarium. / *Magnitudine*, quod sit periculosum. } / *Imperatore* deligendo. *Primum mihi videtur*, &c. }

§. 5. *Confirmatio.*

Quot sunt Confirmationis *partes ?*

Secundum priorem partitionem tres sunt. 1ª de *genere belli*. 2ª de *magnitudine* belli. 3ª de *imperatore* deligendo.

Copiosissimam dicendi venam, totámq; primæ partis tractationem unico Syllogismo dialectico concludas.

Compingam hoc modo. Bellum illud, in quo agitur gloria populi Romani, salus sociorum, certissima populi Romani vectigalia, bona multorum civium, *necessariò* est suscipiendum. At verò in hoc bello agitur gloria

populi

populi Romani &c. Ergo *neceſſariò* eſt ſuſcipiendum. Tota vis eſt in Aſſumptione. Illa primò proponitur. *Genus eſt enim ejuſmodi, quod maximè*, &c. 2° probatur per partes. 1° in hoc bello agitur gloria populi Romani. *Et quoniam ſemper appetentes gloriæ præter cæteras gentes, atque avidi laudis fuiſtis, delenda eſt vobis illa macula*, &c. 2° agitur ſociorum ſalus. Ibi loci. *Quid quod ſalus ſociorum ſummum in periculum ac diſcrimen vocatur. Regno expulſus eſt Ariobarzanes rex, ſocius* &c. 3° aguntur vectigalia — *quanto vos ſtudio convenit injuriis provocatos ſociorum ſalutem unà cum imperii veſtri dignitate defendere, præſertim cum de veſtris maximis vectigalibus agatur? nam cæterarum provinciarum vectigalia, Quirites* &c. 4° aguntur bona civium. *Ac ne illud quidem vobis negligendum eſt, quod mihi ego extremum propoſueram, cum eſſem de belli genere dicturus, quod ad multorum civium Romanorum bona* &c. 123

Fuit prima *Confirmationis pars de* genere *belli, quomodò* ſecundam *pertractat?*

Secunda pars de *magnitudine* belli conſtat Prolepſi, quæ objectionem continet & ſolutionem. ibi incipit. *Quoniam de genere belli dixi, nunc* &c. *Objectio.* Licet bellum hoc Aſiaticum neceſſarium ſit, tamen non eſt ita magnum, ut ſit pertimeſcendum; ratio eſt, quia inſignis dux L. Lucullus copias Mithridatis fregit, ipſumque regem è regno fugavit. *Solutio* duplex eſt. Partim reſpondet per *comparationem* ſimilium ibi. *Primum ex ſuo regno Mithridates perfugit, ut ex eodem Ponto Medea illa*, &c. partim reſpondet per *aſſeveratio-*

verationem ex cauſis efficientibus, quibus belli magnitudinem arguit, quia illiuſmodi bellum eſt, quod conjungunt reges potentiſſimi, renovant agitatæ nationes, ſuſcipiunt integræ gentes, novus imperator accipit, & proinde magnum & periculoſum non eſſe non poteſt, ibi. *Hunc in illo timore & fuga Tigranes rex Armenius*, &c.

Fuit ſecunda *pars, quomodò adornat* tertiam?

In illa unum *Pompeium eligendum* eſſe probat duplici ratione, 1ª *breviore*, quia unus Pompeius eſt idoneus, ibi. *Satis mihi multa verba feciſſe videor, quare hoc bellum eſſet genere ipſo neceſſarium, magnitudine periculoſum, reſtat ut de imperatore*, &c. 2ª *prolixiore*, quia in Pompeio quatuor adjuncta boni imperatoris relucent. Syllogiſmus ergo eſt. In ſummo imperatore quatuor haſce res ineſſe oportet, *ſcientiam rei militaris, virtutem, authoritatem, fœlicitatem*; ſed hæc omnia Pompeio inſunt; ergo. Propoſitio prima eſt ibi. *Ego enim ſic exiſtimo, in ſummo imperatore quatuor has*, &c. Aſſumptio ſecundò ponitur per partes. 1ª eſt de *ſcientia* rei militaris. *Quis igitur hoc homine ſcientior unquam aut fuit, aut eſſe debuit? qui è ludo*, &c. illuſtrata comparatis & effectis per gradus ætatis, & ſpecies belli. 2ª eſt de *virtutibus*, eiſque in duplici differentia. Sunt enim *Polemicæ* & militares, ut ſunt labor in negotiis, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in providendo, ibi. *Jam verò virtuti Cn. Pompeii quæ poteſt par oratio inveniri? quid eſt, quod quiſquam aut dignum illo*, &c. *Politicæ* & civiles,

les, quales sunt istæ, innocentia, temperantia, facilitas & eloquentia, fides, humanitas. Hæ omnes in Pompeio summæ sunt. Ut ex ipso textu satis diserè & distinctè cognosci potest, ibi. *Quid cæteræ, quas paulò antè commemorare cœperam, quantæ, atque quam multæ sunt? non enim solum bellandi virtus in summo atque perfecto imperatore quærenda est, sed multæ sunt artes eximiæ hujus administræ, comitesq; virtutis. Ac primum quanta innocentia* &c. 3ª est de *authoritate*. Pompeius plurimum habet authoritatis, ibi. *Et quoniam authoritas multum quoque in bellis administrandis, atque imperio militari valet, Certè nemini dubium est quin ea in re idem,* &c. 4ª est de *fœlicitate*. *Reliquum est ut de fœlicitate, quam præstare nemo potest, meminisse & commemorare de altero possumus, sicut æquum est homini de potestate deorum, timidè & pauca dicamus. Ego enim sic existimo, Maximo, Marcello,* &c. Huic probationi adnectitur totius confirmationis artificiosæ & methodicæ ἐπανορθώσεως perspicua. *Quare cum & bellum ita necessarium sit, ut neglegi non possit; ita magnum, ut accuratissimè,* &c.

125

De Confirmatione *dixi, quæso jam &* Confutationem *ipsam percurras.* §. 6. *Confutatio.*

In Confutatione tria sunt adnotanda. Primò namque *præfatur.* 2° *rationes* adversariorum *retundit.* 3° *concludit.*

Quomodò præfatur?

Ex Logico axiomate; quòd, omissis authoritatibus, ipsa re & rationum momentis exquiri debeat veritas. *At enim vir clarissimus reipub. & vestris beneficiis affectus Q.*

126 *Catulus, itemque ſummis ornamentis*, &c.

Quomodo retundit rationes?

Duos ſibi proponit adverſarios orator, quibuſcum illi ſit in arenam quaſi deſcendendum, *Q. Hortenſium* & *Q. Catulum*. *Hortenſius* conceſſit (ſi ſumma rerum uni eſſet committenda) Pompeium longè fore digniſſimum, ſed negavit uni omnia eſſe tribuenda. Hoc refellit *Cicero* ex priori judicato. Nam cum eandem omninò ſententiam contra *Gabinum* protuliſſet *Hortenſius*, in eâ cauſa, idque non ſine magna reip. utilitate victus eſt: Quare neque hoc tempore *ejuſdem* ſententia adverſus *Pompeium* ſine magno reip. incommodo eſt admittenda. ibi. *Quid igitur ait Hortenſius? ſi uni omnia tribuenda ſunt*, &c. *Q. Catulus* duobus modis argumentabatur. I. In quo tota ſpes eſt, is ad bellum mitti non debet; in Pompeio vobis Ciceronianis tota ſpes eſt; Ergo ad bellum non eſt mittendus; Ergo bello Aſiatico non præficiendus. *Cicero* aculeatum hoc argumentum 1° ſimili *illudit* ironia; in quo ſpem eſſe fatentur adverſarii, is ſuæ virtutis & dignitatis magnum fructum capit, in Pompeio ſpem eſſe confitentur adverſarii. 2° *evertit* negando Propoſitionem, quia reſpub. ſummi hominis vita, dum licet, frui debet. II. Quæ contra exempla, atque inſtituta majorum fiunt, toleranda non ſunt, ut ad Pompeium omnia deferantur, contra inſtituta & exempla majorum eſt, ergo id tolerandum minimè eſt. *Cicero* argumentum hoc, quod præ ſe fumum fert antiquitatis, ventilat & disjicit pulcherrimo

rimo Syllogiſmo. Ad novos caſus temporum novæ conſiliorum rationes ſunt accommodandæ; probatur multis exemplis. At nunc novi caſus temporum inciderunt. Ergo nunc ad Pompeium novæ conſiliorum rationes ſunt accommodandæ. ibi. *Reliquum eſt ut de Q. Catuli authoritate & ſententia dicendum eſſe videatur, qui cum ex vobis quæret, ſi in uno Cn. Pompeio omnia,* &c. 127

Quomodo concludit?

Refutationem concludit bifariam 1. *inferendo* propoſitum, 2. *opponendo* authoritati Hortenſii & Catuli quatuor ſummorum virorum teſtimonia. ibi. *Quare nolite dubitare, quin huic uni credatis omnia; qui inter annos tot, unus inventus ſit,* &c.

Quid agit denique in Peroratione? §. 7. *Peroratio.*

Duo. 1. laudat *Manilii ſententiam,* hortaturque ut in eadem maneat, qui legem hanc promulgârit, ut Cn. Pompeio (qui adhuc erat in Cilicia ad belli maritimi reliquias perſequendas) Bythinia, Phrygia, Lycaonia, *&c.* præterea omnis ad bellum pyraticum apparatus, omnes quæ ſub Lucullo meruerant copiæ, imò & bellum contra Mithridatem & Tigranem regem committerentur; undè *lex Manilia* dicta eſt. ibi. *Quæ cum ita ſint C. Manili, primum iſtam tuam & legem & voluntatem, & ſententiam laudo, vehementiſſimèque comprobo; deinde te hortor ut* &c. *Secundò ſtudium ſuum* in Pompeium populumq; Romanum non obſcurè ſignificat, teſtaturque deum ipſum ſe non ob privatum commodum, ſed ob publicum iſta omnia dixiſſe & feciſſe.

128 ibi. *Ego autem quicquid in me eſt ſtudii, conſilii, laboris, ingenii, quicquid hoc beneficio populi Romani, &c.*

De hac ſatis; ad tertium volumen feſtinamus, ubi occurrit oratio illa *pro Milone*, quam *Quintilianus* lib. 4. *pulcherrimam*, lib. 11. *nobiliſſimam* appellant; cujus Analyſin jam dabimus.

CAPUT QUINTUM.

Artificium in oratione pro Milone.

§. 1. *Quænam eſt quæſtio totius orationis?*

V. *præter Freigium in commentariis & quæſtionibus ineditis. M. Dreſ. Rhe. lib. 1 pag. 172.*

AN *Clodius jure à Milone cæſus ſit*, quod Cicero affirmat; pertinet hoc negotium ad genus *Judiciale*, ſtatuſque orationis eſt *Juridicialis*, nam de facto quidem conſtabat, at juſténe rectéque, an ſecus factum ſit, diſceptatur. Idcirco ſtatus ſit juridicialis, Græcis στάσις δικαιολογική.

Quot ſunt partes *iſtius orationis?*

Sex. *Exordium, Propoſitio, Confutatio, Narratio, Confirmatio, Peroratio.* De partium ordine, non eſt, quod quiſpiam litiget. Licet enim oratori partes illas diſponere, prout illi viſum fuerit. Hoc & multa alia prudentiæ dicentis, & cauſæ, quam tractat, relinquenda ſunt.

Quot

Quot partes habet Exordium ? 129

Duas. 1° *Ciceronem* ipſum reſpicit. 2° *Judices*. In *priore* duos animi affectus vehementiſſimos exprimit orator, *metum* & *fiduciam*, quorum alterum excuſat, nempè *metum*, ex novi judicii nova & inuſitata prorſus forma. Et Prolepſi adornatur, ſtatim in veſtibulo. *Etſi vereor, judices, ne turpe ſit* &c. alterum firmat, nempè *fiduciam*, ex bona interpretatione armorum, militum, præſidiorum quæ in foro collocarat Pompeius, ibi. *Quæ ſi oppoſita Miloni putarem, cederem tempori, judices, nec inter tantam vim armorum exiſtimarem locum eſſe, ſed me monet*, &c. In *poſteriori* judices hortatur ut timorem ſuum, ſi quem habeant, deponant, ut ſui officii meminerint, ut bonos viros & fortes & de repub. benè meritos (quales ſunt Cicero & Milo) authoritate ſua, fide, & ſapientia recreent & defendant. *Quamobrem adeſte animis, judices, & timorem, ſi quem habeatis, deponite. Nam ſi unquam de bonis & fortibus viris*, &c. §. 2. *Exordium.*

Quænam eſt ſumma Propoſitionis ? §. 3.

Propoſitio ſummam totius orationis complectitur, atque hæc eſt. Clodius inſidias ſtruxit Miloni, ergo jure fuit a Milone occiſus. Adde propoſitionem. Omnes inſidiatores jure occiduntur, & erit Syllogiſmus integer, ibi. *Quanquam in hac cauſa, Judices, T. Annii tribunatu, rebus omnibus pro ſalute reipub. geſtis, ad hujus criminis defenſionem non abutemur, niſi oculis videritis inſidias Miloni à Clodio factas*, &c. *Propoſitio.*

Quid agit in Confutatione ? §. 4. *Confutatio.*

130 Tres proponit objectiones, easque solvit. 1. Est *de sceleris turpitudine*, hominem occidere nefandum esse scelus, & proinde crimen Milonis patrocinium non suscipere. 2. De *præjudicio Senatus*, quasi Senatus judicavit contra Rempub. esse factam hanc cædem. 3. De *inquisitione Pompeii* Consulis de cæde Clodii.

Quomodò refellit primam *objectionem hominem occidere nefandum esse scelus?*

Negando. Ubi probat, quòd liceat aliquando interficere hominem, præsertim insidiatorem, in casu necessitatis, idque. I. ab *exemplo*, seu judicato. M. Horatius sororem suam interfecit, & cædem confessus absolutus est. II. à *consuetudine*, seu more judiciorum Romanorum. Cum de homine occiso quæritur; aut negatur omninò esse factum, aut rectè & jure factum esse defenditur. III. *aliis exemplis* P. Africani, Ahalæ. P. Nasicæ &c. qui sceleratos cives jure interfici judicarunt. IV. *exemplo Græco* Orestis, qui sapientissimæ Palladis sententia à matris cæde liberatus est. V. à *lege scripta* in 12 tabulis per ratiocinationem. Furem nocturnum licet occidere per leges, atque etiam diurnum, si se cum telo defenderit, quarè & illa defensio justa & necessaria est, cùm vi vis illata propulsatur. VI. à *lege naturæ* jubente nos in insidiis & summis periculis latronum atq; inimicorum omnem honestam rationem expediendæ salutis quærere. VII. à *legis voce & voluntate*, quæ tacitam potestatem dat defendendi. ibi. *Sed antequam ad eam orationem venio,*

venio, quæ est propria nostræ quæstionis; videntur ea esse refutanda, quæ in senatu sæpè ab inimicis, ab improbis sæpè jactata sunt, & in concione etiam &c.

Quomodò diluit secundam *objectionem præjudicium senatus?*

Planè contrarium ponit, probátq; senatum hanc cædem comprobasse. ibi. *Sequitur illud quod à Milonis inimicis sæpissimè dicitur. Cædem, qua P. Clodius occisus est, senatum judicasse contra Remp. esse factam. Illam verò Senatus* &c.

Quomodò solvit tertiam *de rogatione Pompeii?*

Ait Pompeium non facti sed juris disceptationem esse voluisse, & id quidem non ideo, quod Clodii mors tam atrox sit, sed aliæ causæ fuerunt quæstionis à Pompeio constituendæ. Iste autem locus ex causis est, sed per dissimilitudinem tractatis. ibi. *At enim Cn. Pompeius rogatione sua & de re & de causa judicarit, tulit enim de cæde, quæ in Appia via facta esset, in qua P. Clodius occisus fuit. Quid ergo tulit? nempe ut quæreretur* &c.

Fuit Confutatio, *sequitur* Narratio, *de qua breviter nunc dicendum est.* §. 5. *Narratio.*

Narratio constat I. *Præparatione* ad cædem, in qua primò exponuntur consilia Clodii de occidendo Milone, secundò occasio occidendi Milonis, tertiò apparatus Clodii; II. *Pugnâ* ipsa & cæde facta. III. *Clausulâ* ἐπιφωνηματικῇ. ibi. *P. Clodius, cum statuisset omni scelere in prætura vexare remp. videretq; ita tracta esse comitia superiori anno, ut non multos menses* &c. *Sturm. de imitat. orator. lib. 1. cap. 10.*

132 §. 6. Confirmatio.

Jam de Confirmatione *agantur orationis parte multò longissima, illam quæso contrahas in pugnum dialecticam.*

Hic est totius Confirmationis syllogismus principalis. Insidiatorem & nefarium hominem licet occidere; At Clodius insidiatus fuit Miloni, & est homo sceleratus; jure ergo cæsus est Clodius.

Quomodò probatur Propositio?

A testimonio legis cùm naturalis, tùm humanæ, ibi. *Nihil dico, quid resp. consequuta sit, nihil quid vos, nihil quid omnes boni: nihil sanè id profit Miloni, qui hoc fato natus est, ut ne se quidem servare &c.*

Quomodò probatur Assumptio?

Illa per partes confirmatur. 1° Clodium Miloni *struxisse insidias.* 2° Clodium *nefarium esse* homunculum.

Quinam est syllogismus prioris *partis?*

Qui habuit *voluntatem* insidiandi & *facultatem*, ille potiùs insidiatus est, quàm qui neutram habuit; At Clodius habuit & voluntatem & facultatem insidiandi, Milo neutram, ergo. Assumptio confirmatur per partes, idq; duplici probandi ratione, prima *directa*, altera *obliqua*, directa *ratione* multiplici, obliqua *prolepsi* multiplici.

Quibus docet rationibus *Clodium habuisse* voluntatem *insidiandi, Milonem non item?*

Sex argumentis. Primò ex *utilitate*, Clodio mors Milonis bono fuisset, non contrà; Secundò ex *odio*, Clodius Milonem odit, non Milo Clodium. Tertiò à personarum *attributis*, Clodius fuit audax & improbus homo,

qui

qui aliquid sceleris semper machinabatur, Milo semper probus, qui occasiones cædis semper neglexit. Quartò à *spe impunitatis*, Clodius eam spem habuit, non Milo. Quintò ex *dictis* Clodii; Milonem periturum triduo dixit, & post tertium diem res gesta est. Sextò ex adjuncto *tempore, & occasione.* Præscivit iter Milonis Clodius, Milo ne cogitavit quidem de Clodio, quare firmissimè colligitur Clodium *voluntatem* habuisse insidiandi, Milonem non habuisse, ibi. *Quonam igitur pacto probari potest insidias Miloni fecisse Clodium? satis est quidem in illa tam audaci tam nefaria bellua docere magnam & causam* &c. 133

Quibus rationibus *docet Clodium habuisse* facultatem *insidiandi?*

Id probat primò ex adjuncto *loco* pugnæ, ante fundum ipsius Clodii. Secundò ex apparatu & *comitatu,* Clodius duxit secum manum gladiatorum, Milo cum uxore & liberis in rheda profectus est, ibi. *Videamus nunc id, quod caput est, locō ad insidias ille ipse, ubi cōgressi sunt, utri tandē fuerit aptior? Id verò judices* &c.

Fuit probatio directa, *sequitur* obliqua, *quæ constat* Prolepsi.

Prolepses quidem plures sunt. I. Si Clodius hujusmodi habuerit apparatus ad insidiandum Miloni, cur ergo victus est? *Resp.* 1. Quia quanquam paratus in imparatos Clodius, tamen mulier inciderat in viros. 2. Quia fortuna pugnæ incerta est. 3. Quia Clodius temerarius fuit, ibi. *Cur igitur victus est? quia non semper viator à latrone, nonnunquam etiam latro à viatore occiditur, quia quanquam* &c.

II. Sed

134 II. Sed Milo servos suos ob illud facinus manumisit. *Resp.* Id non metu conscientiæ, sed merito facti esse. ibi. *Cur igitur eos manumisit? metuebat scilicet, ne judicaretur* &c. III. Sed quæstiones, quæ de servis Clodii habitæ fuerunt, ostendunt Milonem fuisse insidiatorem, non Clodium. *Resp.* De accusatoris servis quæri iniquum est, illi enim idonei testes esse non possunt. ibi. *Sed quæstiones urgent Milonem, quæ sunt habitæ nunc* &c. IV. Sed Milo forsan facti conscientia perterritus Romam non rediit. *Resp.* Inficiando. Milo Romam ilicò revertit; ergo non habuit malam conscientiam. ibi. *Quod si nondum satis cernitis, cum res ipsa tot, tam claris argumentis, signisq; luceat, pura mente, atq; integra Milonem, nullo scelere imbutum, nullo metu perterritum, nulla conscientia exanimatum* &c. V. Sed fama fuit Milonē non venturum in urbem, sed illam occupaturum, armáq; ad tyrannidem coëgisse, de interficiendo Cn. Pompeio cōjurasse, Cæsaris domum oppugnasse. *Resp.* Fama est mendax, omnia hæc falsa, atq; insidiosè ficta comperta sunt. ibi. *An verò obliti estis, judices, recenti illo nuncio necis Clodianæ, non modo inimicorum Milonis sermones & opiniones sed nonnullorum etiam imperitorum, qui negabant eum Romam esse redituru m? sive etiam illud* &c.

Quinam est posterioris partis Syllogismus?

Qui civem nefarium occidit non est puniendus; at Milo occidit Clodium nefarium civem; non est ergo puniendus. Assumptio probatur Enumeratione & longa distributione scelerum Clodianorum, cum præteritorum,

rum, tum eorum, quæ jam ſecum meditabatur. ibi. *Nec vero me, judices, Clodianum crimen movet, nec tam ſum demens, tamq; veſtri ſenſus ignarus, atque expers ut neſciam, quid de morte Clodii ſentiatis, de qua ſi jam mallem* &c. Complexio non nudè proponitur, ſed probatur, Primò, à *diſſentaneis*. Omnes probant & laudant cædem Clodii; quomodò igitur, aut cur puniendus ille eſt, qui cædem commiſerit? Secundò, à *minoribus*, ſi vitam Clodio reſtituere poſſetis, nolletis; multò igitur minùs mortem ejus ulciſci debetis. Tertiò, ab *exemplo* Græcorum, qui tyrannicidis divinos honores tribuunt. Quartò, à *cauſis efficientibus*, quòd non caſu ſed divinitùs illa cædes facta ſit, ubi de divina providentia nervosè & non ineleganter diſſerit. ibi. *Quamobrem ſi cruentum gladium tenens clamaret T. Annius. Adeſte quæſo, atque audite cives, P. Clodium interfeci, ejus furores, quos nullis jam legibus, nullis judiciis frænare poteramus, hoc ferro* &c. 135

Reſtat jam ultima orationis pars, nempe Peroratio, *quid in illa agit?* §. 7. *Peroratio.*

Omnes affectuum & miſericordiæ motus concitat. 1. à *perſona Miloxis*, quòd vir fortis ſit, conſcientia rectè factorum contentus, gloria digniſſimus, & illuſtratur hæc pars eleganti *Proſopopœia*, in qua Milo Ciceronem alloquitur. ibi. *Sed jam ſatis multa de cauſa, extra cauſam etiam nimis fortaſſè multa. Quid reſtat, niſi ut orem, obteſterque vos, judices, ut eam miſericordiam tribuatis fortiſſimo viro* &c. 2. à *perſona ſua*, & illuſtratur iſta pars eleganti *Apoſtrophe*, in qua Cicero Milonem alloquitur. ibi.

136 ibi. *Te quidem, quod isto animo es, satis laudare non possum, sed quò est ista magis divina virtus, eò majore à te dolore divellor* &c. 3. *à persona judicum*, & illustratur hæc pars continua veluti *interrogatione*, & conquæstione, ibi. *Quid vos, judices? quo tandem animo eritis? Memoriam Milonis retinebitis ipsum ejicietis? & erit dignior locus* &c.

Quatuor hasce orationes elegantissimas ex toto quasi Ciceronis penu deprompsimus, ut eas præcipuè legant studiosi juvenes, & rimentur; neq; sat scio opellam hanc meam qualem qualem (si ipsas orationes velint perlegere) aspenabuntur. Jam ij pronum erit unicuique ex ista quam proposui resolvendi ratione in aliis etiam orationibus artificium Rhetoricum adnotare.

Λόγος

Λόγος Παρακλητικὸς

ORATIO ADHORTATORIA

Ad sacras literas perlegendas, & Græcam linguam perdiscendam, habita in aula Coll. Regin. ad initium Termini Michaelis 1619. cum sacratissimi Evangelii secundum Lucam interpretationem auspicatus sum.

§. 1. *Exordium. Foxius in Martyrologio.*

ANtiquitùs solebant majores nostri totius anni curriculum ad festum Sancti Michaelis inchoare & sistere, si Joanni Foxio, rerum Anglicarum scriptori diligentissimo, Martyrologo nostro, fidem adhibeamus. In re tam dubia & minùs necessaria causam nolo rimari incertam; sed si mos antiquorum nunc obtineat (neq; enim video adhuc testem satis idoneum qui illum antiquatum aliquandò, & jam olim exoleviſſe indicare velit) tum hæc ab exordio hujus anni non nisi secunda septimana agitur. Novus proinde annus, novus terminus, nova dicendi materies (quæ omnia fausta precor sint & auspicata) non incommodè nonnihil præfandi mihi ansam submiſtrarunt. Neq; enim illud mihi committendum erat, ut sacra hæc & divina eloquia illotis (ut aiunt) manibus aggrederer. *Pericles aditum ad celeberrimam arcem Athenarum parum splendidum putavit sine Propylæo*; pari modo & mihi ad nobiliſſimos, Atticos dicam? imò pluſquam Atticos scriptores acceſſus *Reynold. Ora.*

138 §. 2. Narratio.

ceſſus ſine proœmio parùm commodus judicatur. Et quod in re oratoria facultatulam meam exercere, veſtram exacuere maximè in votis habeo, idcirco quaſdam orationes elegantes ex ſacratiſſimo ſcripturarum penu depromptas Præcurſoris, Johannis Baptiſtæ: Salvatoris, Jeſu Chriſti; Petri & Pauli, Apoſtolorum, eáſque ſolas ex hoc ſuggeſto enarraturus ſum. Verum enimverò quæ me cauſa impulit, ut hoc potiùs quàm alio decurrerim campo, ſic habitote. Cum vidiſſem Henric. Stephanum, virum emunctæ naris & de Græcis literis ſtudiiſq; humanioribus non peſſimè meritum, conciones quaſque nobiliſſimas ex Herodoto, Thucydide, Polybio aliiſque probatis authoribus ſelegiſſe & in unum veluti faſciculum operâ non contemnendâ concinnè admodum compoſuiſſe, illud ego ἀμφοτέραις ut dicitur χέρσι tanquam cœleſte aliquod munus amplexus ſum, interim tamen ægrè ferebam me iſtas potuiſſe, humanas, in unum acervum collectas, haſce vero Chriſti divinas & Apoſtolorum à nemine quod ſciam ſepoſitas, non niſi in toto Bibliorũ volumine conſperſas intueri. Subiit ergo mihi in mentẽ levis quædam cogitatiuncula, de concionibus hiſce in hac lectiſ. corona prælegendis. Levis inquam ſubiit ἀρχάς, quæ temporis proceſſu in eas ſponte excrevit vires, ut mirificè iſta cogitatio me oblectaret. Quare operæ me precium facturum arbitrabar, ſi iſthunc annum, quem bonis avibus nunc primum ex majorum inſtituto auſpicamur, in ſacris hiſce lectitandis penitùs

penitùs inſumerem. Opus, mihi certè non incommodum, vobis, uti ſpero (adoleſcentes) perutiliſſimum, certè neceſſarium. Ex unica iſtac radice duplex vobis utilitas, ſi bonè ominor, ſuccreſcere videtur, utpote qui cum Græca eloquia tum ſacra oracula idq; una eademq; opera perdiſcere poteritis. De *Græcis* breviter, de *ſacris* fuſior inſtituenda eſt nobis oratio. [a] De *Græcis* dicturus non neceſſe habeo magni illius Eraſmi Roterodami præceptoris Hegii ὁμοιοστέλευτα huc congerere: unum illud dico, omnes dicendi veneres, omnia linguarum omnium myrothecia in Græcam linguam congeſta eſſe, & Græca tam eſſe Academico neceſſaria, quam ſint ſtudia. [b] Ita ut ſemi-doctos, ſemi-Academicos eos omnes exiſtimem (nequè mea ſolius eſt hæc opinio, ſed authoris graviſſimi) qui Græcarum literarum rudes ſcientiam profitentur. Omnes quippe ſcientiæ & facultates, quamlibet à perenni bonorum fonte Deo ipſo originem ducant, ortus tamen καθ' ἡμᾶς, incrementa, ornamenta ſua ſoli Græciæ accepta referebant, dum mater Muſarum Minerva Athenarum domina, Athenæ ditionis Græcanicæ regina, Græcia totius Europæ oculus meritò audierit. Teſtor Ariſtotelem & Platonem, qui in Philoſophia: Juſtinianum, qui in Juriſprudentia: Hippocratem & Galenũ, qui in medicina primas obtinent, teſtor Irenæum, Baſileon, Gregorios, Nyſſenum, Nazianzenum (Deus bone quantos viros!) qui vigiliis & operibus ſuis æternitati conſecrandis ſacratiſſimam artem noſtram Theologiam adornarunt. No-

139

§. 3. *Partitio.*

§. 4. [a] Confirmationis primũ membrum de Græcarum literarũ. 1. Perfectione & dignitate. 2. Neceſſitate, cùm in Attibus.

[b] *Qui non Græca ſimul jungit monumenta Latinis. Is veri docti nomen habere nequit.*

Vid. *Heinſ. orat. 6 p. 122. Lugdun. Batav. 615.*

140 Nolo hic in Scholasticorum fæcem involare, qui doctrinæ puritatem per suam φιλοσοφοτεχνομιξοπλατονικωθεολογίαν dehonestarunt, turbarunt, ut monstroso vocabulo optimè in eos jocatus est Neander in historia ecclesiæ. Hujus farinæ fuerunt *Sententiarii, Summistæ, Lumbardistæ, Scotistæ, Occistæ, Thomistæ, Marialistæ, Sermonistæ, & id genus Doctores novi*, qui Græcarum artium penitùs, ut notum est, rudes, veteri vulgatæ Bibliorum editioni nimis inhærentes, scripturámque non per scripturam, sed Prophetas, vel ex Philosophorum & Poetarum placitis, vel ex Pontificis Romani Decretis interpretantes, non modò Theologiam in meram Philosophiam transformarunt, verumetiam plaustra errorum in Dei ecclesiam invexerunt.

tùm in Theologia. Neand.

Totam Theologiam à capite usque ad calcē retexuerūt, & ex divina Sophisticam fecerunt aut Aristotelicam. Erasm. *Linguæ Græcæ & Hebraicæ non habuerūt peritiam.* Canus *de Scholasticis l. 2. loc. Theol. cap. 13. Vulgari Latino interpreti suam fidem alligarunt.* Idem ibid. *Græcè scire aut expolitè loqui hæresis inter hos habetur.* Erasm.

Imò illud assero (neque desunt rationes validissimæ) errores, deliramenta, imposturas Romanensium, si non omnes, certè quamplurimas ex linguarum ignorantia, & vulgata Scripturarum tralatione, quam Tridentina Synodus solùm authenticam esse vult, primitùs promanasse. Sæpenumerò miratus sum quid esset, quòd Pontificii homines Mosen Prophetam in fenestris, in libris semper depingerent cornutum, donec hujus erroris fundamentum legerem in vulgata editione: nam Exod. 34. versu 29. *dicitur Moses*

Vid. *Sixtini Amamæ Consuram Vulg. edit. nec non Bellum Papale Th. Jamesii incōparabilis industriæ viri, D. Theol. quondā Protobibliothecarum Oxon. & Præceptoris mei in linguis exoticis plurimum colendi. Vide etiam ejusdem Apologiam.*

descendisse

deſcendiſſe de monte, & ignoraſſe quod cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini. Et verſu ultimo, *videbant filii Iſrael faciem egredientis Moyſi eſſe cornutam.* Hinc certè, ſi conjectura non fallat, & non aliunde illud monſtri oriebatur. Solent Papicolæ ſummâ veneratione Mariam virginem adorare, quam Reginam cœli, ſalvatricem mundi agnoſcunt, quam peccata remittere, dona ſpiritualia largiri, Satanam profligare audacter aſſerunt: unde iſta ſi non ex mala verſione textus Hebraici? Gen. 3. Ipſa conteret caput ſerpentis, cum non de muliere ſed de ſemine mulieris Jeſu Chriſto locus iſte ſit intelligendus.

Mulier damnavit, nempe Eva, mulier ſalvavit mundum nempe Maria. Proceſſ. Sathanæ procuratorius contra genus humanum. *Regina Regnantium, via erraniium, ſalus in te ſperantium, ſalva omnes qui te gloriſicant. Salve virgo virginum ſtella matutina, Sordidorum & immundorum vera medicina. Noſtra ſpes fidelium mater virginalis. Ut nobis non noceat demon infernalis. Dele quod interius malè cogitamus. Geſſimus exterius opere peccatum. Verè pœnitentibus veniam da gratis.* Hæc & multa ejuſdem farinæ habentur in laudibus & Horis B. Virginis ad uſum Angliæ,

Sed de Veteri Inſtrumento ut taceamus, ne extra oleas palari videatur oratio, & accedamus ad Novum. Noſtris Romanenſes operum ſuorum perfectionem ſummopere urgere, quæ gratiam mereri apud Deum non uno loco docent. Illud ire ſtabilitum volunt ex Heb. 13. 16. ubi vetus vulgata habet *Talibus hoſtiis promeretur Deus.* Sed primò *quàm putidum eſt hoc & parum Latinum* promeretur *paſſivè?* Cum illa ſignificatione apud probatum aliquem authorem certè non occurrit; deinde eſt in Græco τοιαύταις θυσίαις εὐαρεστεῖται

Whit. de Scriptura.

142 ρεσεῖται ὁ Θεὸς talibus ſacrificiis delectatur Deus. *Ergo nos ſanctorum opera Deo grata eſſe, Deoq; placere dicimus ex hoc loco,* ſed cum meritorum nulla ſit mentio de meritis non magis procedit quàm à baculo ad angulum. Romanenſes ſtatuunt ſeptem novi fœderis ſacramenta, in quibus ſolent annumerare Matrimonium. Matrimonium autem Sacramentum eſſe probant ex Epheſ. 5. 32. ubi vetus editio habet, *Sacramentum hoc magnum eſt.* Verùm Græco vocabulo ad dogma hoc ſtabiliendum ineptè abutuntur. Græcus enim contextus habet Μυστήριον, *quod nuſquam in Scripturis ita ſumitur, ut ſignificet eam rem, quam nos propriè ſacramentum dicimus.* Μυστήριον arcanũ, ſecretũ eſt, non ſacramentũ. *Neq; habet ex hoc loco prudens lectior à Paulo conjugium eſſe ſacramentum, non n. dicit ſacramentum, ſed myſterium hoc magnũ eſt:* verba ſunt Cajetani Cardinalis, qui ob hanc veram vocem vapulat Ambroſio Catharino in 4. lib. Annot. Hujus loci non eſt referre, quam delirant interpretes, imò ante mille annos Gregorius ipſe Romanus in illud Luc. 15. 8. quia vulgata habet de muliere, quæ amiſerat drachmam, *quod everrit domam ſuam:* erratum turpe & manifeſtum, cum in Græco ſit σαροῖ τὴν οἰκίαν *everrit domum,* non evertit. Quâm frigidè philoſophantur nonnulli de ſepultura apud inferos, quia vetus editio habet de epulone, *quòd ſepultus ſit in inferno,* Luc. 16. 22. cum ex vitioſa loci verſione, omnes iſtas nugaces fluxiſſe diſputationes eſt certo certius. Aliqui Apoſtolũ Johannem adhuc vivere ſuſpicati ſunt hujus

Wbiuk.

verſionis

versionis errore delusi; nam vetus editio habet Johan. 21. 22. *Sic eum volo manere donec veniam. Quid ad te?* cum tamen sit in Græco *Si velim eum manere donec veniam, quid ad te?* ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι, τί πρὸς σε; Aliqui contendunt Mariam virginem fuisse sine omni peccato, nescio an magis virginis zelo, vel hujus versionis errore abrepti. Nam vetus habet Luc. 1. 28. *Ave Mariâ gratiâ plena.* Jam quod plenum est gratia, vacat omni peccato; cum sit in Græco tantummodò χαῖρε κεχαριτωμένη, *salve gratis in favorem Dei recepta, gratis dilecta*, non gratiâ plena.

Josias Simler in oratione sua de Petro Martyre Theologo summo, refert eum olim Patavii totum sese Philosophicis studiis addixisse, & inter omnes Philosophorum sectas Aristoteleam philosophiam maximè amasse & coluisse. *Quia verò Aristotelis libri Latini habebantur, sed tamen ita translati, ut non ubique satis commodè, Aristotelis sensum mentemque exprimerent (quamvis enim doctissimi viri in Aristotele tranferendo laborarint, pauci tamen Aristoteleam brevitatem & limatissimum orationis genus imitari & exprimere per omnia potuerunt) statuit apud se Martyr Græcam linguam addiscere, ut Aristotelem aliquando sua ipsius lingua loquentem audiret.* Qua in re multum studii operæque posuit, effecitque brevi, ut privato studio & assiduitate magna difficultates omnes istius linguæ superaret. Quod si ille nihil laboris non subierit in lingua Græca ediscenda, quò meliùs intelligeret Aristotelem, *Simler. in vit. Martyris.*

Ethnicum

144 Ethnicum scriptorem, quantum nos operæ & olei in eadem perdiscenda insumere oportet, quo meliùs θεοπνεύστους authores divinumque Scripturæ sensum intelligamus? præsertim cum vetus vulgata Bibliorum editio sit corruptissima, nequè pauciores numero sunt aliorum versiones nunc quam olim fuerunt ipsius Aristotelis. *Qui enim scripturas ex Hebræa lingua in Græcam verterunt linguam, numerari possunt* (inquit Augustinus) *Latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus & aliquantulum facultatis sibimet utriusq; linguæ habere videbatur, ausus est interpretari.* Melchior Canus Episcopus Canariensis utilitates quam multas particulatim enumerat, quas in explicando Dei verbo nobis afferre solet linguarum cognitio; locus dignus est qui legatur apud Canum, lib. 2. cap. 15. Singulis nolo superstitiosiùs inhærere, unum vel alterum capitulum attingo. Conducit in primis linguarum & præsertim Græcæ peritia ad sacrum Bibliorum textum immediatè intelligendum. Quisquámne est qui numerum bestiæ apud Johannem Apocalyps. 13. 18. sine alphabeti Græci secundum ordinem Arithmeticum intelligentia ullo modo potest exponere? ὧδε ἡ σοφία ἐστιν, *hîc est sapientia, qui mentem habet computet numerum bestiæ, numerus enim ejus est numerus ho-*

Aug. lib. 2. de Doctrin. Christ. c. 11.

3 Vtilitate in exponendis Scripturis.

Vid. Sixt. Senens. Bibl. Sanct. l. 3 de Elementari (ut appellat) explanationis modo. Vide etiam Apo 7. 4, 5.

ΛΑΤΕΙΝΟΣ. 666. VICARIVS GENERALIS DEI IN TERRIS, 666. *Rumiit, Hebraica vox reddit numerum 666,* Item *Ecclesia Italica* Græcè scripta, & ἡ μίσια ἡ παπικὴ. Sphin. Philos. p. 670. cap. 31.

minis

minis, numerus autem iste est ↓ξς id est, 666. Deinde utilis est in dictionibus quibusdam explicandis, quæ magnam emphasin habent, aut aliquam innatam proprietatem quam Latinus sermo exprimere non valet. Instat * ille in voce κεφαλῆς quam fundamentum non satis explicat inquit ille ex Hieronymo. Quinetiam, quod Græci uno vocabulo idque ore rotundo proferunt, v.g. αμεταμέλητα, Latini non nisi per periphrasin satis longam exprimere possunt, hujusmodi ut eorum eum pœnitere non possit. Tertiò etiam utilis est ad tollendam verborum ambiguitatem, nam quod scriptum est, Non est absconditum à te os meum quod feci in abscondito, non elucet legenti utrum corrupta littera os pronunciet, an producta. Si enim corripiat, ab eo quod sunt ossa, si autem producat ab eo quod sunt ora intelligitur numerus singularis. Sed talia linguæ præcedentis inspectione dijudicantur. Nam in Græco non στόμα sed ὀστέον positum est. Denique, confert linguarum peritia ad detegendos errores, mendas, defectus, solœcismos vulgatæ editionis, cujus habitum miserum & squallidum inter legendum soleo observare, quam Isidorus Clarius innumeris scatere vitiis disertè asserit, aitque se loca octo millia annotasse & emendasse. Ad detegendos inquam primò errores, qualis est Roman. cap. 14. versu 5. Unusquisque in suo sensu abundet, cum Græcè sit, ἕκαστος ἐν τῷ

* Canus. De vero συνέσεως, Vide Augustin. in Psal. 1971. De voce ἀδιαλειπτως, Vide eundem in versum 85. ejusdem Psal. De voce κατα θύλακον, Vide eundem in versum 20. ejusdem Psal. Augustinus lib. 3 de doct. Chr. c. 3. Os oris loquitur, sed os ossis roditur ore Whitak.

Ingenui fatetur Sixtus Senensis in ista editione nonnullas inveniri mendas, solœcismos, barbarismos, hyperbata, & multa parum accommodatè versa, & minus Latinè expressa, obscurè & ambiguè interpretata, itemque nonnulla superaddita, aliqua missa, quædam transposita, immutata, &c. Sixt. Senens. Bibliothe. Sanct. l. 8. fol. ult.

146 ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω *unusquisque in animo suo plenè certus esto.* Secundò *mendas*, qualis est Luc. cap. 11. vers. 53. cœperunt Pharisæi ἀποστοματίζειν αὐτὸν περὶ πλειόνων, vetus interpres transtulit, *os ejus opprimere de multis*, ineptè admodum, nam ἀποστοματίζειν est eum *urgere ad loquendum de multis.* Tertiò *defectus*, qualis est 1 Cor. 6. 20. *glorificate & portate Deum in corpore vestro*, cum sit in origine, δοξάσατε δὲ τὸν Θεὸν ἐν τῷ σώματι ὑμῶν, καὶ ἐν τῷ πνεύματι ὑμῶν, ἅτινα ἐστὶ τοῦ Θεοῦ, *glorificate igitur Deum in corpore vestro & spiritu vestro, quæ sunt Dei.* Deniq; *solœcismos*, qualis est Mat. 22. 30. *neque nubent, neque nubentur*, Luc. 21. 38. *Omnis populus manicabat ad eum*, Jacob. 1. 13. *Deus intentator est malorum.* Hæc in fontibus longè aliter, & satis eleganter puréq; fluunt. οὔτε γαμοῦσιν οὔτε ἐκγαμίζονται. πᾶς ὁ λαὸς ὤρθριζεν πρὸς αὐτον. ὁ Θεὸς ἀπείραστος ἐστὶ τῶν κακῶν. *In his Græcis nec puritas nec elegantia desideratur, Illa vera Latina ejusmodi sunt, ut nihil magis barbarum aut ineptum fingi possit.* Ideo non immeritò Sanctus Hieronymus ad fontes ipsos semper nos revocat. *Dulciùs ex ipso fonte bibuntur aquæ.* [a] *Sicut enim*, inquit, *in novo Testamento recurrimus ad fontem Græci sermonis, ita in veteri ad Hebraicam recurrimus veritatem.* Cui consona vox est illa Gratiani Distinctione nona, capite [b] *Ut veterum.* Et *Augustinus* libro secund. de doctrina Christiana, cap. 11. perspicuè demonstrat *Latinæ linguæ homines duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem opus habere, Hebræa scilicet & Græca*

Whitak. de Scriptura.

a *Hieronym. v. etiam Didac. Stellam in 1 c Luc. ad finem præfationis.*

b *Ut veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda; ita novorum veritas Græci sermonis normam desiderat. Gratian.*

ut

ut ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas. c Quare cum hæc studia genere quidem summa sint, usu verò maximè necessaria, quid restat (juvenes lectissimi) nisi ut vos ista capessatis omni alacritate, omni diligentia percurratis? idque sine mora & cunctatione, dum cor vigeat, ætas siverit, dum corpus sit vividum, vireſque permiserint, aut hîc aut nusquam, aut nunc aut nunquam: τίνα γὰρ χρόνον ἢ τίνα καιρὸν τοῦ παρόντος βελτίω ζητεῖτε; ἢ πότε ἃ δεῖ πράξετε, εἰ μὴ νῦν; Diu heu nimis diu d Summulis, Exponibilibus, Ampliationibus inhæremus, Græcæ interim & sanctæ linguarum penitùs expertes; diu heu nimis diu Flaccis, Persiis, Ovidiis, reliquis hujus ævi scripturiendi pruritu percitis nugatoribus disertis incumbimus, e neglecto interim sacro codice qui *solus nos erudire potest ad salutem quæ est per fidem in Christo Jesu*, ut Sanctus Paulus loquitur, 2 Tim. 3. 15.

c Brevis repetitio cui adjuncta est adhortatio & transitio ad secundum confirmationis membrum.

Demosthen. Olynth. 3.

d *Nonnulli videntur in vanitate sensus, & obscuritate mentis ingredi, qui diebus ac noctibus in dialectica arte torqueantur?* Hieronym. *Omitte ista & da salutis operam*, ut alibi.

quando Basileion alloquutus est Gregorius. e Vide *Pelusiot. l. 4. Epist. 208. Heroni. Cur somnia vos adeo & inertes summa in evolvendis divinis eloquiis omnium scientiam eloquentiamque Gentilium, &c.* Pic. Mirand. l. 2 de stud. div. & hum. philos. cap. 2. vide locum lectu dignissimum. *Humilitati salubrrimæ maximè adversatur quædam, ut ita dicam, imperitissima scientia, dum noscere gaudemus quid Anaxagoras, quid Pythagoras, quid Democritus senserit, & cæteri hujusmodi ut doctè eruditique videamur, cùm hoc à vera doctrina & eruditione longè absit* Augustin. Epist. 56. Dioscoro.

Quæ eo certè animo à me dicta nolim existimetis quasi omnem humanioris literaturæ rationem improbarem: procul absit ut talia de me quisquam cogitet, næ insipientissimus

148 mus forem, si ista saperem; summa námque est utilitas Logicæ in Theologia, summus Philosophiæ usus, Rhetoricæ non exiguus, aliarum scientiarum suus, uti disertissimis argumentis Augustlib. quatuor de doctrina Christiana, in quibus typum verámque Evangelistæ effigiem nobis excudit, probare contendit. Sed *ut dicere cœperam* hoc est quod asséro. Istis studiis minutioribus tanquam mediis utendum est, in illis tanquam in fine nobis non est acquiescendum. Imbibendæ sunt artes, legendi logici, philosophia perdiscenda; omne tamen in illis tempus non est collocandum, non juvat istis chartis immorari, nedum immori; sed prælibatis istis ad altiora paulò contendamus oportet, quæ non modò gustanda sed devoranda imò digerenda in succúmq; & sanguinem nostrum convertenda sunt ni justissimæ Agathonis reprehensioni subesse velimus.

Augustinus.

Agathon.

Τὸ μὲ πάρεργον ἔργον ὡς ποιήμεθα,
Τὸ δ' ἔργον ὡς πάρεργον ἐκπονήμεθα.

* Confirmationis secunda pars de S. Scripturæ primò perfectione & plenitudine.

Istum * ergo jam errorem eorum minuendum esse censui, qui *generi & speciei, fabulis & nugis* totum ætatis suæ teneræ spacium consecrarunt, *(quo vitii genere nostra tempestate non parum multi irretiuntur, curiosiùs quid Aristoteles quam quid præcepit Christus vestigantes,)* neglectis interim divinis eloquiis, quæ tamen à fasciis & incunabulis suis edoctus fuisse perhibetur Timotheus. Hic valet illa fortassis Æschyli monitio paululum immuta-

Vic. Mirand. de stud. div. & hum. Phil. lib. 1. cap. 3.

Æschyl.

ta, *Ne in iis labores temerè quæ* parùm *juvant.* Nam ut maximè concedamus illa studia aliquo modo esse utilia, imò necessaria; si tamen ad sacra semel conferantur eloquia, parùm habere utilitatis videbuntur. Rectissimè Augustinus, quare n. in re tam divina divinos authores non urgerem, Theologus, Theologum? (imò verò non ex Stoa aut Academia, ex Peripatu aut placitis Philosophorum depromptam hanc orationem videri velim, sed ex nostrorum hominum scriptis & libellis totam concinnatam, consarcinatam existimetis) Rectissimè inquam Augustinus. *Quanto minor est auri, argenti, vestisque copia quam de Ægypto secum ille populus abstulit, in comparatione divitiarum quas postea Hierosolymæ cõsecutus est, quæ maximè in Salomone rege ostenduntur, tanta fit cuncta scientia quæ quidem est utilis collecta de libris gentium, si divinarũ scripturarum scientiæ comparetur. Nam quicquid homo extra didicerit, si noxium est, ibi damnatur; si utile est, ibi invenitur. Et cum ibi quisque invenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multo abundantius ibi inveniet ea quæ nusquam omnino alibi, sed in illarum tantummodò scripturarum mirabili altitudine & mirabili humilitate discuntur.* Quæ sententia quid de plenitudine scripturarũ dici vel fingi potuit augustius vix satis intelligo. In has igitur convertendum est omne studium, dirigendáque mentis acies, in quibus evolvendis etiamsi ab incunabulis desudaremus usq; ad decrepitam senectutem, semper (ut asserit Augustinus) quò proficere possemus, inveniremus. Nec te excusare quisquã,

V. Pelusiot. l. 1. Epist. 21. Ammonio. & l. 4. Epist. 67. Theognosto.

Aug. lib 2. de doct. Christ. cap. 42.

Præuf. Pic. Mirand lib 1. de studio Divin. & Hum. Philosoph. cap. 1.

150 quanquam in Philoſophia humana non eruditus, ab hujuſcemodi ſtudio poteſt, quando ad quorumlibet è medio intelligentiam ſe demittat. *Illa* n. (ſentit ſcripturam) *ſic loquitur, ut altitudine ſuperbos irrideat, veritate magnos paſcat, profunditate attentos terreat, affabilitate parvos nutriat.* Illinc quoq; omnia non ſolùm in agendo negocia, ſed & in diſcendo ſtudia ſunt petenda; ut non ſolùm boni efficiamur voluntatem inſtituentes, ſed etiam docti intellectum erudientes, inquit *Picus.* Sed eſto, quod rerum omnium & ſcibilium varietatem Scriptura copioſiſſimè complectatur, ibi tamen deeſt eloquentia & facultas oratoria, quam nos unicè ſectamur. *Quæ quidem dubitatio apud me ipſum & apud eos qui mecum quod dico ſentiunt, facillimè ſolvitur. Ubi enim ſacratiſſimos Dei amanuenſes intelligo, non ſolum nihil eis ſapientius, verum etiam nihil eloquentius mihi videri poteſt. Ubi verò eos non intelligo, minus quidem mihi apparet eorum eloquentia, ſed eam non dubito eſſe talem qualis eſt ubi intelligo.* Cedò tamen ſi placet nonnullos ſacri codicis contextus quibus illud quod nudè aſſeris, firmare poteris. *Poſſem equidem, ſi vacaret, omnes virtutes & ornamenta eloquentiæ, de quibus inflantur iſti qui linguam ſuam noſtrorum authorum linguæ non magnitudine ſed tumore præponunt, oſtendere in iſtorum literis ſacris, quos nobis erudiendis & ab hoc ſeculo pravo in beatum ſeculum transferendis providentia divina providit.* Singula verò recitare nec mihi licet nec vobis expedit, quare ex millibus unum vel alterum Apoſtoli locum habitote.

Secundò Eloquentia, per Prolepſin.

Auguſtinus. Fideatur Pic. Miran. lib. 2 de ſtudio Div & Humau. Philoſ. cap. 2.

Auguſt. lib. 4 de doct. Chri. cap. 6.

Quis

Quis enim non videat quid voluerit dicere & quam sapienter dixerit Apostolus ad Rom. 5. καυχώμεθα ἐν ταῖς θλίψεσιν, εἰδότες ὅτι ἡ θλῖψις ὑπομονὴν κατεργάζεται, ἡ δὲ ὑπομονὴ δοκιμήν. &c. *Gloriamur in tribulationibus, scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia autẽ probationẽ, probatio verò spẽ, spes autẽ non confundit; quia charitas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis.* Ecquid suavius vel salubrius? ecquid sapientius vel eloquentiùs gradatione quadam plusquam Tulliana dici à quopiam potuit? *Apostolum* certè *præcepta eloquentiæ* superstitiosè *insecutum fuisse non dicimus, quod tamen ejus sapientiam secuta sit eloquentia non negamus. Scribens ad Corinthios in secunda Epistola, ca.* 11. *redarguit quosdam qui erant ex Judæis Pseudapostoli, eiq; detrahebant, & quoniam scipsum prædicare compellitur, hanc sibi veluti insipientiam tribuens, quam sapienter dicit, quamque eloquenter?* πάλιν λέγω, μή τίς με δόξῃ ἄφρονα εἶναι, εἰ δὲ μήγε, κἂν ὡς ἄφρονα δέξασθέ με, ἵνα μικρόν τι κἀγὼ καυχήσωμαι, &c. *Iterum dico, inquit, ne quis me existimet insipientem esse, alioquin velut insipientem suscipite me, ut & ego modicum quid glorier. Quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in stultitia in hac substantia gloriæ: quoniam quidem multi gloriantur secundum carnem, & ego gloriabor. Libenter n. sustinetis insipientes, cum sitis ipsi sapientes. Toleratis n. si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit: secundum ignobilitatem dico, quasi nos infirmati simus. In quo quis audet, in in-*

151

Aug. lib. de doct. Chri. cap. 7.

Augustin.

152 ſipientia dico, audeo & ego. Hebræi ſunt? & ego. Iſraelitæ ſunt? & ego. Semen Abraæ ſunt? & ego. Miniſtri Chriſti ſunt? & ego, ut inſipiens dico, ſuper ego. In laboribus plurimum, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. A Judæis, &c. Vid. loc. *Auguſtin.* *Quanta ſapientia iſta ſint dicta vigilantes vident. Quanto verò eloquentiæ cucurrerint flumine, & qui ſtertit advertit.* Poſſem ego equidem facili negotio omnes iſtius ſententiæ elegantias recolligere, omnia cola & membra totius periodi, quam aptè ſibi reſpondeant, & quam concinno ordine diſponantur ſingula oſtendere, quod ab Auguſtino, lib. 4. de Doctrin. Chriſt. factitatum video, ſed ut ejuſdem Auguſtini verbis de loco quodam apud Amos Prophetam abutar. *Auguſtin.* *Quam ſit hic locus pulcher & quemadmodum afficiat legentes atq; intelligentes non opus eſt cuiquam dici, ſi ipſe non ſentit.* Pronum mihi jam foret neque operam forſitan luſiſſe viderer, ſi alios nonnullos dicendi lepores & eloquentiæ ornamenta ex iſtis quas ſuſcepi exponendas orationibus in medium adducerem, niſi ea pariter & alia unicuiq; orationi quaſi propria in particularem earundem tractationem reſervaſſem. Peroratio mea vos habeat exoratos quæſo, Græca & Sacra, hæc ut doctiores, illa ut Sanctiores evadatis, pari pietatis affectu, pari laboris conatu inſequi, venerari. Non crapulæ & commeſſationibus, non fumo & vanitatibus, non invidiæ & maleficiis, non fraudi & fallaciis, non otio & vitiis, ſed iſtis, iſtis, quæ dixi, ſtudiis incumbite, iſtis inhærete, ut profectus

§. 5. **Peroratio conſtat repetitione brevi & inſigni adhortatione.**

ctus vester omnibus notus sit. *A sermone putri, ab illiberalibus jocis, à malis congressibus, à sordibus popinarum, à luxu in conviviis, in vino, Veneris lacte, in vestitu molli & sumptuoso cavete. Vitate iners otium, nequitiæ fomentum, studendo bonis artibus, audiendo, legendo, meditando, scribendo, dicendo, disserendo, legenda audiendáve limando. Mutuis consiliis auxiliísq; alios alii acuite, errantes dirigite, languentes excitate, Cor unum esto & via una.* κἂν ταῦτα ποιῆτε οὐ τὸν εἰπόντα μόνον παραχρῆμα ἐπαινέσεσθε, ἀλλὰ καὶ ὑμᾶς αὐτοὺς ὕστερον, πολλῷ βέλτιον τῶν ὅλων πραγμάτων ὑμῖν ἐχόντων.

Raynold. præfat. ad Theses suas. pag. 45.

Demosthen. Olymbiac. β.

Aristot.

εἴρηκα, ἀκηκόατε, ἔχετε, κρίνατε.
Dixi, audistis, habetis, judicate.

Coronis.

Deus precor benedicat studiis nostris, eáque magis magísq; promoveat, nequè modò linguam nostram disertam esse velit, sed & pectus pium. Fiat.

THOMAS VICARS

Ἀναγραμματικῶς

Hic mas ut rosa.

Quidã ad me de isto anagrãmate sic scripsit.
Ut rosa flos florum, vir sic est iste virorum.
Ego verò à tanto eulogio planè abhorrens volo anagramma illud non sit ἐπαινετικόν,

154 demoſtrativum laudis, ſed potius ἀναγνωριστικὸν comonitorium officii; quod conſignavi tali carmine.

Ut roſa? *cur tandem? roſa cum nitidiſſima, ſed tu*
Nævis & maculis uſque miſelle ſcates?
Non quid es, *at* quid *(mî bone Thomà)* te fore *oportet*
Hic mas *(ô Vicars)* ut roſa *fortè docet.*

FINIS.